Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Georg Dorsche

Johann. Georgii Dorschei, D. Latro Theologus, Et Theologus Latro : Vigiliis Paschalibus Expositus In Universitate Argentoratensi Gemino Panegyrico Anno Chr. MDC. XLVII. & MDC. LIII. Notis Nonnullis. Auctior

Rostochii: Wilde, 1669

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730409961

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730409961/phys_0001
DFG

Fg-3219a

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730409961/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730409961/phys_0003
DFG

JOHANN. GEORGII
DORSCHEI, D.

LATRO THEOLOGUS, ET THEOLOGUS LATRO,

VIGILIIS PASCHALIBUS
EXPOSITUS

IN

UNIVERSITATE ARGENTORATENSI GEMINO PANEGYRICO

ANNO CHR. cIↃ. IↃc. XLVII. & cIↃ. IↃc. LIII. NOTIS NONNULLIS. AUCTIOR.

(O)

ROSTOCHII,
Apud JOACHIMUM Wilden/

ANNO M. DC. LX IX.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730409961/phys_0005
DFG

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730409961/phys_0006
DFG

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo & Prudentissimo VIRO,

DN. ADRIANO von der Linde/

REIPBUL. BORUSSORUM REGIÆ

DANTISCI

PRÆCONSULI MERITISS.

Domino suo venerando

S. P. D.

INter sermones meos Academicos, qvos, redeuntibus ad me in collegio Theologico vicibus, ad cætum literatum, pietatis solennis excitandæ gratia, more recepto, in vigiliis festivitatum Christianarum, habui, duo sunt,

qvorum uno LATRO THEOLOGUS, altero THEOLOGUS LATRO descriptus est. Ille An. Christi M. DC. XLVII. hic An. Christi M. DC. LIII. habitus. Uterqve Argentorati à diversis expetitus, & interea, dum hic sum, multoties literis amicorum ad prælum postulatus est. Uterqve in seculi errores & calamitates justo Zelo invehitur, & pericula deplorat inde enata, unde salutis publicæ curatio expectabatur. Qvæsivi demum inter schedas meas, multum ex molestissima translatione corruptas, eos, & integros reperi. Qvos dum ad Typographiam adorno, & amicis potius, qvam rigidis docti hujus seculi censoribus communicare paro, incidit in memoriam alius sermo, in qvo latius

latius de corruptelis officinarum pietatis publicarum meditatus fui, & qverelam aliqvam in solatium curarum mihi imaginatus, qva de erroribus emendandis aliorum excitarem sollicitudinem. Habitus est hic sermo ad auspicium tertii Rectoratus mei Acad. Argent. An. Ch. M. DC. XLV. fer. Marci, in Principis, Comitum, Baronum, & totius Civitatis Academicæ præsentia. Existimavi eum hic commode inferi posse & tuis Potissimum oculis exhiberi, Vir Magnifice, Nobilissime, Amplissime & Prudentissime, Domine Venerande, qvi inter summa Regiæ Civitatis negotia perpetuo ad orbem literatum & officinas literarum respicis, & contra errores atqve inqvinamenta earundem

consulis. Saltem non improbabis conatum cogitationesqve meas, qvibus de publica salute occupatus fui anxiè, & omnia emendatiora videre mihi optavi. Qvod in Republ. tua qvotidianis concepisti votis, perpetuis agitasti consultationibus & plerumqve feliciter effecisti, id in umbra Academiarum, innoxiis disceptationibus, pro tot egregiorum ingeniorum inflammatione, agitari, non Potes improbare. Sed ne te occupare velle videar, ita verbo tenus se habet.

Disser-

DISSERTATIO ADITO RECTORATUI ACADEMICO III. PRÆMISSA

SEreniſſimæ frontis tuæ auſpiciis ſacratum, *Celſiſſime Sereniſſime q; Princeps, Domine Clementiſſime*; Illuſtribus veſtris gratiis conſperſum, *Perillusſtre & Generoſiſſimi comites atq; Barones, Domini Clementes*; Autoritatæ curaq; veſtra promotum, *Generoſe, Nobiliſſimi, Eminentiſſimi, Prudentiſſimiq; Domini, Domine Cancellarie Univerſitatis & Reip. Prætor, Dnni Sholarchæ & Reip. Conſules. Domini & Qvindecimvirali & Senatorio ordine, Aſſeſſores Conſilii Academici, Domini benevolentiſſ. Patroni incomparabiles*; Suffragiis veſtris concordibus munitum delatumq; *Magnifice Dn. Rector, ſpectabiles Coll. Acad. Decani, Theolo-*

Theologi plurimum Reverendi, JCti emendatissimi, Medici experientissimi, Philosophi exqvisitissimi, Philologi accuratissimi, Collegæ, Patroni, Amici honoratissimi; Pietatis vestræ adminiculis perficiendum, *Reverendi Ecclesiarum Urbicarum & suburbicarum Antistites & Ministri;* Subsidiis vestris excellentibus promovendum, *Clarissimi Curiarum Gymnasii Moderatores;* Consensu vestro atq; conspiratione fulciendum, *Generosi, Nobilissimi, Excellentissimi ex variis Civitatis ordinibus & incolis spectatissimiq; Fautores;* Tuo vero inprimis nutu nobilitandum condecorandumq;, *Generosa nobilitate, Doctrina in spem melioris seculi parata, multarumq; virtutum ornatu florentiss. studiosorum* Concio, Rectoratum capio Academicum. Annuat auspiciis, gratiis adspiret, curæ præsit, suffragiis benedicat, pietatis adminicula moderetur, subsidia roboret, consensum tueatur, nutus confirmet, medeniq; auspiciis, gratiis, cura,

cura, ſuffragiis, pietatis adminiculis, ſubſidiis, conſenſu, nutuq; felicissimum futurum ita gubernet Rector Orbis, DEUS unus, ſumma Trias, ne auſpicia profanentur, gratiæ pereant, cura deludatur, ſuffragiorum pœniteat qvenqvam, pietatis adminicula ſubvertantur, ſubſidia peſſundentur, conſenſus diſſolvatur, nutus reclamet. Inter inſanientis ſeculi ludibria poſitum muneris cujusqve decus, niſi à ſupremo numine patrocinium habeat, cum dedecore tranſigitur. Nulla unqvam tam ſacrata fuerunt auſpicia, qvæ non profanaverit impura avis. Nullæ tam opulentæ gratiæ, qvas non expilaverit manus improba. Nulla tam dextra cura, qvam non malignior inſpiratio ſollicitaverit. Nulla tam pura ſuffragia, qvæ non abſtruſa malignitas infregerit. Nulla pietatis adminicula tam valida, qvæ non mos ſeculi adverſus optima qvæq; laſciviens temeraverit. Nullus tam

conſpirans undiq; conſenſus, qvem non tentaverit operoſa per omnia improbitas. Nullus egregiæ juventæ nutus tam ſanctus unqvam, qvem non licentia ferocientium inter calamitates publicas tenebrionum turbaverit. Qva propter auſpicia cum cælo ſunt copulanda, gratiæ à fonte gratiæ ſempiternæ rigandæ, cura à ſumma tranqvillitate ſuſpendenda, ſuffragia in urnam æternæ ſapientiæ conjicienda, pietatis adminicula cæleſti ſpiritu implenda, ſubſidia ſideribus inferenda & à DEO animanda, conſenſus mortalium cum immortalibus fœderandus, nutus deniq; cum numine ſociandus. Sic univerſitas ſtudiorum cum univerſitate rerum conciliabitur. Sic Rector Rectori DEO ſua probabit, conſecrabit, conferet. Sic Academiæ ſuum decus conſtabit, ſuus DEUS proſtabit. Ego ſanè jam hoc primum agam.

Noſtrum meritum eſſet, ne eſſemus, qvi dudum ita fuimus, ut contra Te eſſemus

semus, summe DEUS, Rector orbis: nostrum meritum esset, ne discseremus, qvi dudum ita didicimus, ut Te supra omnia colore dedidicerimus: nostrum meritum esset, ne saperemus, qvi dudum ita sampuimus, ut circa Te summam sapientiam desipuerimus. Nostrum meritum esset, ne regeremur, qvi dudum ita nos reximus, ut confuderimus omnia, regulam neglexerimus. Tuum beneficium est, summe DEUS, Rector orbis, qvod sumus, qvod discimus, qvod sapimus, qvod regimur. Sumus inter ruinas orbis, inter flammas conflagrantis boni publici supersumus, inter perituras spes ostendimus adhuc priscæ felicitatis reliqvias & illam compagem, qvæ olim florebamus. Discimus adhuc, qvanqvam imminuto valde numero & conatus nostros futuræ ætati pollicemur. Sapimus, qvæ Tu nos sapere voluisti, cum sapientiæ Tuæ fontes nobis aperuisti Reficit universos ordines, qvod sapimus & gustum inter amaritudines turba-

turbatarum rerum dulcedinis tuæ probat. Regimus manu Senatus sapientissimi, Scholarcharum benignissimorum, Consilii optimi. Gratias agimus pro immenso beneficio, qvo meriti nostri improbitas sublata est, & tua inter nos munera durant. Pluribus illa passim perierunt, qvi vel non sunt amplius, vel suis malis supersunt, nec discunt nisi calamitatum subinde novas figuras, nec sapiunt, nisi voragines novissimorum malorum, nec reguntur nisi perexactionum tormenta. Blande Rector, summe DEUS, jube nos porro esse, sed in pace, apud Principem pacis Jesum tuum! fac nos porrò discere, sed te secretumq; benignitatis tuæ & seculi melioris præsidia: fac nos sapere, sed ubertatem sapientiæ tuæ, qva ordines humani generis foves: fac nos regere, & regi, sed à Senatu, qvi civitatis ornamenta tuetur; regi, sed ab Antistibus, qvos verbo tuo roborasti; regi, sed in Academia, qvæ ad felicitatem publicam format; regi imprimis

primis à Te, blande Rector, ſumme DEUS, ſed gubernaculis amoris tui, qvo nos hucusq; perfudiſti. Regerè, ſed ut à Te dirigamur, ad Te dirigamur & dirigamus omnia. Ita fiat, ita fiat, blande Rector, ſumme DEUS!

Egi, qvantum apud DEUM pro ſalute publica hoc loco peragendum fuerat. Nunc precibus doctus ſermo foret ſubnectendus, qvi in univerſas muneris corporisq; mihi demandati partes ſeſe diffunderet, & alacritatũ ordinũ per encomia ad monitaq; perennitatem demulceret, ſi & ego iſtis ſermonibus linguã adſvefacere per negotiorum diverſorum cumulum potuiſſem, & vos, Auditores ſplendidiſſimi, non antea pleni eſſetis iſtis incitamentis, qvibus vel muneri meo benefacere, vel corpori ita ſive præeſſe, ſive intereſſe, adeoq; prodeſſe cupitis, ut ſermo qvamvis diſertiſſimus neqvaqvam æqvare poſſit veſtram promptitudinem. Ne tamen nihil dixiſſe videar, dicam qvid cogitaverim, cum

cum devolutum ad me per suffragiorum æqvanimitatem munus amplissimum fuisse intellexissem.

Venerunt profectò in mentem Comitia Irenica, qvæ nunc qvotidie in mente sunt optimis qvibusq; , ad qvæ perpetuis precibus merito advocandus DEUS est, ut ille sedeat arbiter consiliorum, voluntatum motor, calliditatum subversor, conciliator cordium, suæ causæ judex, suæ Ecclesiæ Patronus, hostium suorum mitigator aut vindex, bellorum sedator, pacis dator. Illa in Westfalorum Osnabrugo & Monasterio ex totius orbis Christiani fere legationibus coacta, nunc spes nostras suspensas tenent, & inter incursantium dubitationum ancipitia nunc huc nunc illuc trahunt rapiuntq;. Illorum intuitu privatus qvisq; calamitates annorum præteritorum memorat, calamitatũ causas indagat, calamitatũ remedia desiderat; sunt qvibus videtur hoc illud-

qve etiam

etiam in comitiorum negotia esse referendum; hæc illaq; consilia esse amplectenda, ut bellis terminus constituatur, pacis origo decernatur. Qvia omnes bonos urget moles ista publica & premit, omnes sapere, omnes consulere volunt. Sic inter inania meditamenta, etiam nunqvam vel accessuri vel audiendi, suam sollicitudinem profitentur, suas ærumnas solantur, sua desideria lactant. Ego comitia Academiarum ante omnia à DEO precatus sum, in qvibus congrederentur Antecessores, Doctoresq; deliberarent, non solum de communibus miseriis, qvæ intulerunt vastitatem præstantissimis institutis, dispicerentq; de conferendis ad earundem levamentum auxiliis. Qvotus enim qvisq; est tam abjectæ vilitatis, qvi non aliqvid ad publicorum malorum decrementum conferre possit, si vel unicum emenda verit? sed etiam propriam expenderent conditionem, & exinde propria mala æstimarent. Qvam nullus

inter

inter Academias, etiam qvas religionis sanctissimæ nexus Servatori JESU conjunxisset, hucusq; consensus, nulla conspiratio? nulla de communibus hostibus arcendis consilia? nulla de communibus malis propellendis communicatio? nulla de bono publico concordibus rationibus sive restaurando, sive constituendo consultatio. Qvam oscitanter viderint contra libertatem & pietatem seditiosa scripta grassari, nec illa digna animadversione flagellaverint. Nimirum sæpe dissensio fecit, ut dum singulis pugnare parum tutum videretur, nec conjunctis animadvertere placeret, vulnera sine cura in corporibus libertatis pietatisq; remanserint. Qvam segniter vastissima volumina viderint majorum egregios conatus intervetere, qvibus non occurrere, præterqvam, qvod nunqvam delendum dedecus universæ Reip. Christianæ adfert & qvasi stigma qvoddam inurit, adversarios veritatis in soleſcentes reddit & insultan-

tes

tes: nihilo tamen minus, qvia cum cæteris dividere eruditionis & vindicationis gloriam noluerunt, totam omiserunt, & succumbere universum corpus tam atrocibus injuriis voluerunt. Qvam negligenter, qvos ad spem publicam educarunt, ad istam concordiam publicam formaverint, sine qva de publica felicitate desperandum est. Qvam live inter se odia disseminaverint, rixas excitaverint, prærogativas excogitarint, privilegia jactaverint, ambiverint frequentias. Qvomodo detraxerint sibi mutuo per commenta & fraudes, ut suam qvæq; amplitudinem tueretur, suum corroboraret decus. Qvotum qvemq; miserint sive ad aulas Procerum, sive ad Ecclesias, sive ad rerum publ. gubernacula, qvem non aliqvo impleverint odio, qvo premeretur cæterarum dignitas & salus universa labefactaretur. Qvorum qvemq; ex suo numero nominare possint, qvi curas suas, suos labores, suas lucubrationes ad bonum totius

us Christianæ rei, aut saltem Germaniæ universæ retulerit. Qvanta fuerit in disciplina socordia, qvot scelera, qvibus fœdata reip. Christianæ sanctitas, sine justa ultione impunita dimiserint! Qvomodo igitur in hac impendente orbis Christiani emendatione consensus excitari & consilia pro bono publico communicari possint? Annon diversarum Academiarum instituta adversus hostes publicos confœderari possint, a qvibus nihil tam atrox aut ingeniosum prodire qveat, cui non ex fœderis legibus occurratur feliciter? Annon dividi ita elaborandarum rerum & eruderandorum abstrusorum partes debeant, ut conjungantur consilia, & sic singuli laborent, ut omnium sit opus, omnium judicium? Annon hæc ratio sit, qvæ una sustinere causam Dei possimus, qvæ tantis animorum nostrorum oppignorationibus nobis est concredita? Annon indagari possint media, qvibus ab ipsis studiorum primordiis, ita educarentur animi,

animi, ut parem erga universas Academias gerant observantiam, qvibus diversarum Academiarum alumni ita permutentur distribuantur qve inter se, ut tam huic qvam illi sint obnoxii, nec qvid huic magis qvam illi acceptum ferre debeant, jucunda studiorum mixtura scire qveant? Annon ad ista omnia propaganda & ad seram posteritatem transmittenda operæ precium sit restituere fire, sive potius ad Academicum institutum ab Ecclesiæ vereris more transferre, epistolas encyclicas, qvibus explicentur perpetua Academiarum pro literarum pietatisq; incrementis consilia, qvibus Antecessorum confirmentur in mutua commoda conatus, qvibus qvotidiani errores notentur, casusq; exponantur, qvibus adversariorum machinæ examinentur, detegantur, subvertantur. Annon inter ipsas Academias stabilita confœderatio publicis auspiciis consecranda, & tanqvam potens futuræ felicitatis præsidium summa

auto-

autoritate & ipsorum etiam Principum fastigio condecoranda? Annon cum primariis florentissimarum Ecclesiarum consistoriis, qvæ vocant, Unio prorogandæ & tantis nexibus scientiæ disciplinæq; majestas confirmanda? Annon sit hoc supra omnia alia valiturum contra ferociam effrænis adolescentiæ qvasi vallum, ad qvod illa feliciter eliatur, si sentiat, qvicqvid insolenti temeritate peccabit, non adversus umbraticos illos scientiarum Magistros tantum tentari, sed ad Ecclesiarum Collegia collimare, in Principum aulas deferri, in famiam longe lateq; spargere? Annon summa sit salutis publicæ oblivio, qvod tantorum bonorum, qvantis Academiarum sinus abundant, non accuratior hucusq; sit habita æstimatio & tutela? Annon, si ad ista consilia coaluerimus, intestina eruditorum dissidia, & æmulationes probrosæ, & bella cum dedecore magno partium gesta cessura sint? in qvibus non raro ingeniosæ argumen-

gumentationis lubricitate fretus qvispiam, septendecim, qvas jactat, rationibus suffultus, & medicori qva despumat garrulitate adjutus, & maxima ingenui pudoris parte exutus, sexagenarium æternæ veritatis vindicem inter damnatissimos computat hæreticos, & toti Ecclesiæ sistit execrandum: aut de obsoletis antiqvi juris vestigiis contra communia juris præcepta dimicatur: aut de circulatione sangvinis, circulatorum & agyrtarum more, non sine vertigine contenditur: aut renatus aliqvis Cartesius novæ philosophiæ commentis fœdat gravioris doctrinæ castimoniam, & renatam inse ordinibus literatorum deprædicat moriam: aut orientis lingvas doctus aliqvis intolerabili fastu se nullius pennam adversariam posse perpeti demonstrat. Annon, si hoc consensu boni publici tractaverimus, incrementa compendiorum, qvæ vocant, per omnes disciplinas suam exercentium licentiam, dispendia tolli possint, & vetari, ne mox atqve qvis

qvis ferulam cum baculo, insignia esurientis majestatis, assecutus est, orbem compendio aliqvo, velut dominationis suæ monumento, donet? Annon per omnes disciplinas hoc concordiæ Academicæ fulcimento ad priscæ solideqve eruditionis pervenire decus qveamus, ut Theologi ab ipsis primordiis, per lingvarum & seculorum sanctimoniam, ejus doctrinæ eruant benignitatem, qvæ cœlo sociat & immortalitate unicè donat: ut ICti in ipsos legum sacratissimarum thesauros penetrent, repudiatis illis ambagibus, qvibus soli cathedræ vigilatur, justitiæ parum consulitur: ut Medici cum Hyppocratis veneranda canitie experimentorum eorum concilient efficaciam, qvibus tot ingenia, tentatis naturæ viribus & indagatis immensis æterni numinis beneficiis, sua robora impenderunt: ut Philosophi, posito insolentis præscriptionis supercilio, ad utilitatem scientiarum cæterarum, non suam, suam attemperent sapientiam, ne in philosophia philo-

philosophiam desiderare possimus; Ut Philologi erudita manu ad bonorum autorum arcanas divitias vagabundam & meris phrasibus pastam juventam deduoant, cum qvibus, in principio lingvarum hauriendarum, amicitiam contrahant, & optima variæ prudentiæ notitiæqve monita cum sermonis nitore absorbeant. Annon hac Universitatum literariarum conciliatione Francisci Baronis Verulamii de augmentis scientiarum promovendis expostulationes expediri possint, & satisfieri aliorum qverelis, qvi, qvod omnes profitentur, multa cognitioni nostræ deesse qviritantur? Hæc & alia plurima in illis Academicis comitiis possent pertractari, & ab his postea descendi in singularum Academiarum examen, in qvo unaqvæqve sese ad leges boni publici amussitaret; & ad gloriam supremi numinis reformaret Sic compositis rebus suis iam non importunè forsitan ad illa ipsa Comitia legatos suos expedirent Academiæ, & ea aperirent,

rent, qvæ cum dignitate ad publica commoda illæ qvidem referenda censuerint. Capita neceſſariæ legationis hæc mihi imaginabar: Eam nomine Academiarum præſto eſſe, qvo ipſo nomine audito maximam ſibi benevolentiam polliceatur: certè fiduciam aditus exinde concepiſſe, eſſe enim in auguſtiſſimis illis comitiis, qvibus, qvæ Mars perdidit, reſtauranda ſunt, plerosq; è ſuo ſinu progreſſos & Academiarum olim inqvilinos, qvos non immemores inter ingentes curas ſvaviter habitatarum ſedium & cathedrarum cum veneratione ſpectaturam, & ſubſelliorum cum gloria occupatorum, & Muſarum blandiſſimè complexarum futuros ſibi vehementer promittat: non poſſe eos ſpernere matrices ſuas, fortunarum ſuarum aut primordia, aut incrementa, aut ornamenta nominum ſuorum incunabula: non morari eam cachinnos eorum, qvi in campis obbrutuerunt & ejurata humanitate excidium boni publici molliuntur, qvi

qvi ſcholis cum comitiis nihil intercedere negotii exiſtimant: non poſſe hos favere Academiis, qvi vaſtitatis autores ſunt & amatores, qvi ubi ſolitudinem fecerunt, pacem appellant: gratulari eam Orbi Chriſtiano, qvod eousq; deducta ſit rerum noſtrarum perturbatio, ut Academiarum armis Bellonæ ſua ſint exuenda, martisq; conpeſcenda ſangvinis humani prodigalitas. Exiſtimare eam, nondum ex animis ſuorum qvondam cultorum excidiſſe, qvod non aliæ ſint bona remediaq;, qvibus ſalutis tranqvillitatisq; publicæ firmamenta poſſint conſtitui, qvam ea, qvorum Academiæ doctrinam profitentur, poſitisq; illis ſtudiis gentes, in barbariem priſcam relapſas, nil niſi perpetua ſpiraturas bella. Non ergo dedignaturos illos, qvos DEUS his Comitiis reipubl. Chriſtianæ cauſam agere voluit, ſi Academiarum nomine humilis fiat commonefactio. Periculæ Academiarum eſſe incomparabilia, tanto ſanè majora, qvanto bona Academica cæteris univerſis pretioſiora ſunt.

)( )(Nec

Nec enim reipubl. tranqvillitatem desiderari eo potissimum nomine, ut Proceres suis gaudere possint semper delitiis, Senatores suis honoribus, Mercatores suis opibus, Opifices suis qvæstibus, Rustici suis prædiis, Bubulci atq; Opiliones armentis suis & gregibus; altius contendere pectora, qvos cœlum suo complevit spiritu, & ad istorum bonorum cultum adspirare, qvibus Academiæ imbuunt mortales & ad præsidium contra caducitatem instituunt. Cum de earum bonis agatur, earum Legatos à tractatione ardua submovendos non esse. Pacem nunqvam pacem futuram, nisi Academiis earumq; bonis præspexerit. Principium qverelarum esse, qvod immanis barbaraq; vis Academiis ab insano Marte illata sit, qvi furibundo plane molimine uti non pepercit Dei immortalis templis atq; sacrariis, ita etiam domicilia illa sacratissima invaserit, diripuerit habitacula docentium discentiumq;, nutrimenta atq; stipendia subtraxerit, immi-

nuere

nuere coegerit anteceſſorum numerum, collegia debilitaverit, meditamenta illuſtria aboleverit, Bibliothecas diſſipaverit, auditoria clauſerit aut profanaverit, honorum curſum turbaverit, privilegia violaverit, ſceptra conculcaverit, abduxerit multos è medio ſtudiorum ſanctiſſimorum complexu & in ſuum commercium traxerit, inſtrumen a boni ſeculi peſſundederit, ſpes ætatis ſecuturæ confuderit, aulis illuſtribus fulcimenta, dicaſteriis judices, Eccleſiis Antiſtites, Senaculis Aſſeſſores prudentes, rebus publicis Conſiliarios interceperit aut interfecerit, typographias deleverit, bibliopolia exhauſerit; plurimos, qvibus ad incolumitatem ſuam orbis diutiſſimè frui potuiſſet, Viros doctrina admirabiles, mœrore confecerit & ſpectaculis immanibus contrucidaverit. Martem multas horas, qvæ in gloriam DEI & communia emolumenta diſpenſari poterant, ad lamenta gemitusq; in funeratione ſalutis publicæ convertiſſe, alicubi ſolitudi-

litudinem silentiumq; bonis literis indixisse, alicubi miscuisse furores suos, qvi Musarum tranqvillitatē corrumperent: exempla etiam obtrusisse incautæ ætati, qvæ in scholarum umbris ad latrocinia animarent. Esse hæc damna Persicis divitiis & Indicis fodinis nunqvam compensanda, neq; qvemqvam tanti posse æstimare jacturam suam, qvanti sit æstimanda hæc, qvam verba nulla complecti possunt. Petere autem Academias non minus restitutionem, qvam qvivis alius, qvi armatorum chiliadibus idem aliis intulit, qvod ab iis tulit. Eas contra neminem armatas conspectas fuisse, neq; insurrexisse ad tranqvillitatis violatæ motus. Esse qvidem & ex Academiis malorum publicorum semina nata, ut qvodam suo merito passas esse illas tanta detrimenta existimari possit. Nec inficias ire, qvi summæ rerum in illis præfuerunt, disciplinam non uno loco non eam fuisse observatam, qvam instituti magnitudo, & negotiorum tractandorum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730409961/phys_0032
DFG

rum sublimitas, & edictorum gravitas postulabat. Eos non ignorare qverelarum publicarum acerbitatem. Fuisse domicilia Musarum non semper ita habitata, ut earum reqvisiverat castitas. Hinc nec mirandum esse, qvod Mars ferox eadem incestare non abhorruerit: fuisse sæpissimè in popinas & nocturnos furores collatam freqventiam, qvæ debebatur acroateriis: hinc dissipationem freqventiæ ex ultione judicis summi promanasse, honores nonnunqvam fucis impositos fuisse, hinc eorundem moras turbasq; à læso numine profectas esse: privilegia ab iis ad occasionem licentiæ usurpata fuisse, qvorum pietati donata fuerunt; hinc eorum conculcationem ægrè ferendam non esse. Multos ex Academiis in aulas, in Ecclesias, in Senacula, ad rerumpubl. gubernacula progressos fuisse, ingenti opinione juvandis rebus advocatos, qvi vulneratis conscientiis, forsan & cicatricosis corporibus, absterrere debuissent postulantes; eos improbis moribus, siniſtris auspiciis, maledictis

sedictis consiliis fœdasse magis, qvam ornasse spartam, qvam nacti erant: hinc qvod eqvus iste vacuas aliqvandiu costas ostenderit, ex qvo ad internecionem patriæ tot Sinones prodierunt, non uni Marti imputandum esse: non semper Viros etiam doctos adversus spectacula ferocientis turbæ eo animo exarsisse, qvem DEUS poposcerat, & mali mores metuerant; hinc ad aliena spectacula ipsis deinde mœrendum gemendumq; fuisse: non à bellis hisce introductam demum fuisse illam digladiandi licentiam, qvam grandi scelere Academici exercent, segni propterea brachio plerumq; castigati. Atq; adeo qvæ mala tolerarunt Academiæ, non ita ad calculum revocari posse omnia, ut integrâ eorum causa restitutionem postulare possint. Neq; hoc audere Academias. Imo potius inter præcipua desideria illud commemorare, ut restaurata pace ad severioris castioris q; disciplinæ formam constituendam progredi possint. Comitiorũ autem implorare autoritatem, rogare

auspicia

auſpicia. Decernatur inter viros ad ſublime pacis negotium congregatos, pacē Academiis dandam, pacem in Academiis ita eſſe adornandam, ne poſt hac in Academiis ea hæreant vitia, qvæ poſt ea reipubl. ſint exitialia. Hoc Academias in veritis habere & à Comitiis contendere. Bellum autem ſcientiarum nomine graviſſimè diſſvadere. Theologiam ſibi imputari motuum iſtorum ſemina non toleraturam deinceps: provocare ad pacem, proponere ſacrarum ſcripturarum theſauros, qvos ingens tyrannis ex oculis ſummovere conata ſit: hos ad tranqvillitatem viam demonſtrare illis, qvi non tam antiqvos errores tueri, qvam vera antiqvitate & religionis ſanctæ primordiis imbui cupiunt: expoſcere ſedatum & prudentem modum tractandi negotium fidei, circa qvod unum tanta graſſatur ſocietatum perfidia. Sed & illud commonefacere, jam multis annis ita tractari bellum, ut bona conſcientia ita tractari neqveat. Edidiſſe ſe jam dudum leges ex

oraculis cœleſtibus, intra qvas decurrere debeat bellum, ſi conſcientia in eo DEUM retinere velit propitium. Iſtas velut Platonicas ideas rideri, & ridendam theologiam proſtituere illis, qvibus cum Chriſtianis inſtitutis bellum nullo modo conjungi poſſe ſemper viſum eſt. Eam itaq; contra intendere, & totam belli ſeriem inter opera ſpiritus damnati recenſere, neminiq; licere eſſe Chriſtianum, & hoc modo geſtam belli telam pertexere. Jurisprudentiam non amplius ſuo qvidem elogio dignaturam illos, qvi ſanctioribus conſiliis ſummatum Reip. Chriſtianæ adhibiti, ſub juſtitiæ velo machinationes avaras, intentis ad potentiæ augmentum, obtrudunt: offerre prudentū reſponſa, conſilia remotorum ab iſtis furoribus, conſtituta ſanctiſſima, fœderum tabulas, populorum jura, humanitatis ſemina; ex his dijudicandam cauſam, his gradibus ad pacem enitendum: niſi auditur, univerſum abominandæ iniqvitatis velū ſeſe removere velle, & oſtendere gentibus ad omnes orbis plagas poſitis

diſperſis-

disperſisq;, homines fuiſſe, qvos ita amor beli funeſtus occupavit & immanis, ut nullis univerſæ humanitatis præſidiis, nullis divinis documentis ad pacis amplexum commoveri potuerint. Medicinã pariter ſanctiſſimum illud propitii DEI munus bello non ultra commodare velle; nec poſſe ſine nauſea curare morbos, qvos rabies bellandi peperit, qvos excitavit Veneris & Bacchicum Marte improbo improba conſociatio, qvos livor prædæ opimioris fecit, qvos perpetuæ in everſionem patriæ vigiliæ provocarunt; cohorrere ſe ad medelam vulnerũ illorũ, qvæ raro alia cauſa recipiuntur, qvam qvia bellando ſæviendoq; in contraria qvæq; itur. Philoſophiam cœlum ſuũ non ampliùs furoribus iſtis pro operculo conceſſuram eſſe, qvod tot contra iſtam barbariem edidit prodigia; monſtrare vero terram, exiguum iſtud, de qvo tanto ſtrepitu armorum decernitur: ſuos numeros exhibere, ad qvos cenſenda ſit hominum ſtrages, urbium everſio, oppidorum vicorumq; conflagratio, ut videant, an-

non satis sit trucidatum, satis everſum, satis combuſtum, ab iis, qvi ſic inſanire pergunt: ſuos circulos exhibere, qvibus dimetiantur bellorum libidine inflammati; qvantum terrarum jure occupaverint. Eam naturam ipſam etiam velle in conſpectum ſangviſugarum iſtorum ſiſtere, qvœ acribus qvidem monitis petitura ſit, ut ſua elementa miſſa faciant, qvi illa hucusq; tanta temeritate conſpurcarunt, qvi terram humani ſangvinis abominabili inundatione polluerunt, qvi vaſtitatem induxerunt pulcherrimis ſuis partibus, in qvibus illa olim ſuas divitias oſtentaverat & ſupremi numinis ſapientiam depinxerat, qvi non hominibus duntaxat exilium indicunt, ſed & feris latibula invident: commendare in ſuper præcepta morum, familiarum, civitatum, rerumpublicarum, totiusq; humanæ ſocietatis: rogare, diſpiciant ſeculi noſtri monſtra, qvomodo tueri velint molimina ſua, ſi ad tribunal humanitatis illis ſit comparandum

dum patrocinium. Deniq; historiam graviter monere, percant omnis ævi promtuario; satis monstrorum se hucusqve in suas retulisse tabulas, qvibus dehonestatum sit seculum nostrum, denigrata candidissimæ qvondam gentis gloria: non esse ex usu posteritatis, ex una gente tot pessima exempla annotare, tanqvam effœta sit prisca virtus, nec aliqvod in posteris semen superstes habeat: Se tamen non mentiturum, si furere illi non desierint, sed advocatis omnibus eloqventiæ, simpliciſſimæ illius & rectissimæ, præsidiis posteris ostensuram istam rabiem, qvæ sic à publicæ salutis restauratione pertinaces avocat animos. In hunc sensum perorandum ego cogitabam.

Verum enim vero & patroni deerunt, & numi, & animi, & salvi qvoqve conductus literæ ad necessariam Academiarum legationem. Itaqve nihil amplius movendum censeo. Ne autem

tem plane frustra sic cogitasse nos arbitremur, svadet summorum Virorum favor, qvo Academias complectuntur, qvos in patrocinium salutis publicæ jam totos intentos, non dubitamus ea decreturos esse, qvorum vigore Academiæ in pristinum redeant florem & cum Academiis revirescant omnia.

Fac id ita fieri, Academiarcha JESU! Dixi.

ITa, magnifice Adriane, commento Academico tum serias meas curas, vota mea ardentissima, suspiria ad DEUM qvotidiana ausus sum exponere. Nondum pœnitet talia prolocutum esse. Sum adhuc in ea sententia, nunqvam Academias, qvas lumen Evangelii irradiavit, ea præstituras esse commoda, qvæ fundatores earum orbi promiserunt, nisi conjunctio major & communicatio extiterit, nisi consilia de communibus

munib⁹ hostib⁹ arcendis, de communib⁹ malis propellendis, conferantur penitius, candidius intimentur, plenius exponantur, nisi de bono publico concordibus rationibus sive restaurando, sive constituendo consultetur. Manebunt, si ista non admittentur, scripta non exigui momenti, qvibus respublica & religio gravissimè lacessita est, fine justa animadversione, & nos succubuisse vociferabuntur adversarii, qvia nihil reposuimus, qvi vincere potuissemus, libertatemq; cum pietate vindicare, si conjunctio foret arctior & communicatio fidelior. Nondum excidit è memoria liber, Anno clɔ Iɔc. XXXIX. à collegio aliqvot integro ad concussionem status publici adornatus, & id planè præsagiens qvo postea passim grassabatur & exercitibus validissimis agebatur. Eum boni & cordati audacissimorum pronunciatorum æstimatores summa cum indignatione conspexerunt tanto successu promulgatum, toties & majo-

ribus

ribus subinde insultationibus auctum singuli vix ausi sunt impetum luxuriantis compositionis subire, facile profecto dissolvendæ, nisi ea fuissent tempora, qvibus postulabantur & tradebantur ad carceres hostiles veritatis defensores. Si conjunctio tum ista & consiliorum communicatio viguisset, qvam in Comitiis Academicis maturandam dixi, in promptu fuisset contra publicam audaciam necessaria ultio. At verò cum disjuncta fuissent Academiarum corpora, nec singulis pugnare tutum visum esset, nec conjunctis animadvertere placuisset, vulnera utiq; sine cura in corporibus libertatis pietatisq; remansissent nisi cum chartaceis etiam ferrea contra nos tela altiori medicina extracta fuissent. Omnium oculis obversatur insuper vasta annalium ecclesiasticorum moles, oppositæ historiæ Ecclesiasticæ centuriis, qvas Magdeburgicas vocant. Qvibus hæ initiis excreverint, placet hic ex præfatione qvatuor virûm Tomi seu

Cent.

Cent. I. ad Lect. notare. De sumptibus, inqviunt, verè profitemur, nos pauciſſimos habere, qvi annuatim aliqvid conferunt: nec pro laborum conditione operarii ſatis ſuſtentantur, ſicut ipſimet optimi teſtes ſunt, imo niſi DEUS nobis qvosdam Mecœnates adhuc excitarit, (qvod ne fiat, multi invidi ſtrenuè laborant.) neq; progredi ſatis expeditè poterimus, neq; forte totum opus, ut eſt inſtitutum, abſolvere. Impudens igitur planeq; diabolicum eſt mendacium & criminatio tetra iſtius ſcurræ, qvi nuper in maledico & famoſo ſcripto, ſine nomine edito, (ubi tamen aliam ſaltat fabulam) ſardonico riſu & virulento ſarcaſmo noſtrum opus hiſtoricum AUREUM appellat, eò qvod ex multo auro Germanico ſit conflatum. Non vidit ſceleratus iſte ſcurra opus: & tamen non veretur canino aut viperino potius dente arrodere. Deinde non habet cognitas rationes noſtras iſte convitiator ac criminator; & tamen ut

Simei

Si mei nos fallet, ac mentitur splendide. Nam qvam pauci & qvam parce dent, qvam frugaliter alantur hujus instituti operarii, poterat iste irrisor explorare, non à profugis, sceleratis, pollutis, mendacibus, qvibus gubernationis nostræ ratio ne nota qvidem est, sed à nobis ipsis. Totum opus habet qvosdam gubernatores, qvinqve numero: qvibus hæc cura incumbit, ut regant consilia, partiantur operas in colligendo & scribendo: corrigant tum delinitationes primas & rudiores rerum, tum ipsas etiam scriptiones: qvædam etiam pro rerum necessitate & ipsi contexunt, operarios conducunt, & stipendiis alunt. Eleemosynæ parvæ seu spontanea sacrificia, sanè modica & tenuia, viro cuidam honestissimo & integerrimo in eo collegio creduntur: is habet accuratam acceptorum & expensorum rationem singulis anni qvadrantibus, præsentibus etiam aliis gubernatoribus seu collegis, numerat stipendia

pendia operariis, ac subducitur ratio de-
singulis: idqve ita sollicitè, ut parati si-
mus cuilibet postulanti exhibere ejus
rei rationem. Aluimus autem hacte-
nus operarios decem: estqve laborum
ratio distributa in istos tres ordines.
Primum septem eruditi studiosi tan-
tum collectioni, juxta normam metho-
di ex optimis autoribus, vacant, ex-
cerpentes, qvasi apiculæ qvædam in-
dustriæ ex floribus variis, certo judicio,
ordine & modo ea, qvæ ad historiæ
partes facere videntur. Duo alii, re-
liqvis ætate, doctrina, judicio præstan-
tes, oblatam materiarum sylvam juxta
regulam methodi digerunt. Res di-
gestas qvibusdam ex Collegio guber-
natoribus exhibent; neqve ulla res gra-
vis scribitur, nisi prius delineatione
illa judicata. Ubi verò res atqve de-
judicatio singulorum membrorum ap-
probata fuerit, tum demum compo-
sitioni student. Compositum qvodli-
bet caput rursum mox qvibusdam in-
spectori-

spectoribus exhibetur, qvi denuo limam, prout exigere necessitas videtur adhibent. Præter hos unus est, qvi tantum commoda manu, qvæ hoc pacto sunt composita, describit. Ex hac commemoratione pii & candidi viri difficultatem rei utcunqve animo metiri poterunt. Ac debebant nos meritò omnes consiliis, libris, ac reliqvis officiis juvare, incitationibus etiam qvibusdam & dextris judiciis nostros labores levare. Postremo, qvia plures personæ alendæ sunt & labores immensi faciendi, eaqve historia ad totam Ecclesiam Christi pertinet, nec est possibile absqve sumtibus tot homines ali, rogamus pios Ecclesiæ DEI cives, ut nos etiam sumtibus juvare non dedignentur, si modo cœptum opus continuari debeat. Non qvæsivimus, nec qværimus nobis inde thesauros ingentes: sed ut mediocriter pergere ac necessaria operariis præbere possimus. Sic illi de suis centuriis inter angustias elaboratis

elaboratis; de qvibus habemus judicium Isaaci Casauboni in præfat. Ad Exercitat. Anti Baronianas ad Jacobum Britann. Regem: Richardi Montacutii in præfat. Analectorum Exercitationum Ecclesiasticarum lit. A. Thomæ Brightmanni Comment. Apocalypt. p. 318. edit. Londin. E Pontificiis qvam plures contra illas insurrexerunt, sed inprimis voluminum vastitate Cæsar Baronius, immensis sumtibus & triginta annorum laboribus instructus, & deniqve Cardinibus Ecclesiæ accitus. Qvid ad hoc grandæ opus nostri homines? Uti interærumnas & difficultates suas per plusqvam qvatuordecim annos Autores Centuriarum pleriq; dereliqverunt, solius consensionis & communicationis sublatæ vitio, ita nondum confutatum, in pluribus intactum, & nebulis potius atqve fuligine obductum, qvam ullo evidenti fundamento concussum opus, qvod omnino Ecclesiæ asserendum & vindicandum fuerat, communiter omni

præsidio

præsidio destituitur, eadem ex causa. Si enim ea, qvam optamus, esset inter Academias concordia, facile ad superiorum clementiam & providentiam jam dudum patefactus fuisset aditus. Talia ad universum ecclesiasticum statum corroborandum præfatus sum ad Antistites Regiæ Hafnienſis Academiæ, cum illis Septenarium Admirandorum JESU dedicassem. Cætera nunc reducere, non vacat, nec lubet. Qvicqvid igitur orbis, adversus optima consilia ferociens, de qverula ista mea & commentitia legatione sentiat, nullus tamen dubito, qvin cum bonis innumeris mecum in eo, Nobilissime Adriane, consentias, rem literariam ex parte, qvam Lutheranorum vocant, se longè melius habituram, si, qvod à Comitiis contendo, à DEO optimo maximo obtinuerimus. Sunt profecto Academiæ seminaria & officinæ eruditionis & pietatis, ex suo instituto. Ad id eas consentire necesse est, si id obtinendum est. Non obtinebimus, nisi singulæ con-

consentiant. Itaq; ut id fiat, omnibus modis elaborandum est. Id in votis tuis esse penitus persvasus sum. Accipias itaq; æqvo animo, qvod amplissimum nomen tuum ausus sum pagellis his qverulis præscribere. Magna observantissimi Amoris inclinatione in DANTISCANAM Remp. feror, qvæ tot mihi Amicos dedit, D. Calovium, D. Botsaccum, Dn. Dilgerum & Dn. Mochingerum τὸν νῦν ἐν ἀρίστοις (qvos duos, cum ante XXIIX. annos ad Argentoratensem Academiam, professionis Theologicæ capessendæ causa, venissem, velut eminentes in cœtu Academico, inter præcipuos Amicos colui.) Dn Sohnerum, Dn. Phelavium, Dn. Falconem, Dn. Heyseum & alios sanctiori ministerio adscriptos, Viros sapientia & pietate Ecclesiæ & bono publico perpetuo operantes. Extra' istud non prætereundus est Dn. Christianus Rosteuscherus, qvinqvenniointegro apud me hospes gratissimus, optimorum omnium

mnium favore ob præclarissimum variam eruditionem dignissimus. Ab his amicis instructi etiam cives Dantiscani, cum Academicum peragere voluerunt curriculum, tum Argentorati, tum Rostochii, non desierunt meam sive amicitiam, sive benevolentiam requirere, qvam & promptam obtinuerunt. In ea CIVITATE emines, vir Magnifice, & attrahis ad Te optimum qvemqve. Cum ferretur in observantissimos Tui amplexus animus meus, ex majori propinqvitate cupidior factus, Rev. Dn. Phelavius stimulum addidit. Et voluissem qvidem ampliori occasione ordiri aditum ad tuum patrocinium. Sed qvia ea remotior est, qvam ut impatienti morae servire qveat, hoc exiguo id tentare ausus sum. Satis amplum est, qvod boni publici augendi consilia excitat, qvod amplissimo favore excipitur, qvem licet haud de Te meritus, à Te tamen mihi omnino polliceor. Accipe igitur, VIR Magnifice, Latronem Theologum & Theologum

Latro-

Latronem benevola manu, ac mea studia favore tuo benignissimè prosequere. DEUS Rempubl. tuam & Ecclesiam perenniter à Latronibus tueatur. Perier. Rostochii Anno 1655. post Christum orbidatum, Dominica XIII. Trin.

Magnificæ Amplitudinis tuæ

observantissimus

JOHAN. GEORG DORSCHEUS,
Argentoratensis
D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730409961/phys_0051
DFG

DECANUS

FACULTATIS THEOLOGICÆ IN ALMA ARGENTORATENSIUM UNIVERSITATE

JOH. CONR: DANHAWER,

S.S. THEOLOGIÆ DOCTOR, PROFESSOR ET ECCLESIASTES,

Lectoribus piis S.

THEOLOGUS LATRO; LATRO THEOLOGUS, duo sunt contraria, ac in tragœdiâ trœgediarũ, quam Filius DEI coram Patre lusit in orbe terrarum, memoranda admirandæ cata-

A stro-

strophes nomina. JUDAS primum *Theologus*, post Latro. JUDAS, inquam *nativitate* איש קריות VirKiriothites è civitate Kirioth in sorte Juda sitâ; *sorte*, familiæ ac disciplinæ CHRISTI alumnus; CHRISTI ἐν τῇ προσευχῇ διανυκτερεύοντος *calculo* ac *designatione*, *Apostolus* θεοδρόμος orbis Episcopus, sator æternitatis. *Eligitur & Judas* (ita *Ambros.* l. 5. in Luc. cui succenturiare licet, in electione Judæ futuræ proditionis præscià occupatam μελέτην *Chemnitianam* harm. c. L. p. 658.) *non per imprudentiam, sed providentiam: scilicet ab eo prodi voluit Christus, ut tu si à socio desertus, si à socio proditus fueris, moderatè feras, tuum errasse judicium, periisse beneficium; tyrocinio ac præludio officii*, Therapeuta & Exorcista admirandus. At *studio avarus* Chrysi magis quàm Christi consectator: *arte hypocrita*, cupiditati suæ nomen pietatis obtendere doctus, trecentorum denariorum, quibus unguentum, quo pes Salvatoris à Maria delibu-

tus, ut compilaret, venire voluit, astutus auceps: *scelere* homo trium literarum, Avtolycus, ærarioli Christi deprædator; & tanquam parum hoc esset, *plagiarius Simoniacus*, Venditor sacrosancti Filii DEI, XXX. Argenteis (libris? quod placuit *Baronio*, & qui vastum Baronii opus in compendium redegit Spondano ad ann. XXXIV. *an ficlus*? quod Salmeron, Maldonatus, Corn. à Lap. Hugo Grotius maluere) haut pluris æstimati. Insanus scilicet mercator, qui tàm vili tàm nefario ære perenne suæ infamiæ monimentum, agrum sangvinis, agrum figuli emerit, egregia commutatio! pro Apostolicâ sorte, sordes figulinæ: pro cœlo ceramicum acquisivisse, fœtore grave, cadaveribus fœdum, aspectu horrendum ingeniosè infelici licitatori illusit Poëta.

Impio insontem, quô vendidit ære, Magistrum,
Hoc laqueum Judas quæsiit ære sibi:
Si sperare lucrum mercator stulte volebas,
Vendendus laqueus, Christus emendus erat.

Latro denique, & parricida immaniſſimus
Latro Chriſti, latro ſui. Latro Chriſti, quem
ſervus Dominum, diſcipulus Magiſtrum,
amicum latronum primipilus oſculo di-
pſadis venenum ſtillante, per nefarium pa-
cis adulterium deſignavit ad necem: *Latro
ſui*, non tantum corporis, ſed & animæ,
cujus perditionem intimat cùm emphaſis
phraſeως υἱᾶς ἀπωλείας (ita dicti non à
peremptorio, inexpugnabili, ac abſoluto
decreto; *nam ſi ſic eſſet*, ait *Cyrill.* l. XI. in
Joh. c. 21. *nullo modo culparetur, cum* DEO
nemo reſiſtere queat, ſed à ſtudio ac merito)
tùm oraculum Chriſti, *melius ei futurum
fuiſſe, ſi nunquam fuiſſet natus.*

Ille agitatus abit furiis, tædetq; videri
Mortales inter, cæcas deſiderat umbras:
Ultimaq; elegit tandem ſolatia mortis.
Omnibus & gratæ lucis projecit amorem,
Atque ſibi lethum demens conſcivit: & alto
Suſpenſus ligno, laqueis & fune pependit.
Spiritus infelix meritos abiturus in ignes,
Horruit oris iter, quo venditor ipſe benigni
Oſcula

Oscula libarat Domini, quo sumserat ejus
Corporis ante dapes, ideò fœdissima rumpens
Ilia, cum gemitu noctis petit imma profundæ-

Mirum, historiæ tàm claræ tenebras offundere, traditionem tàm adultam levi armaturâ impugnatum ire, in Gallico alterum, alterum Belgico Helicone Apollinem, Hug. Grotium & Daniel. Heinsium; quibus sordet Judæ suspendium, placet mors ex ἀγχόνῃ & gravissimo exulceratæ conscientiæ tormento. Conferunt Job. VII. 15. ubi eligit machanac animæ suæ, & Tob. III. 12. ubi de Sarâ dicitur ἐλυπήθη σφόδρα ὥστε ἀπάγξασθαι &c. & II. Sam. XVII. 23. ubi de Achitophele dicitur וַיֶּחְנַק LXX. ἀπήγξατο suffocatus est, non suffocavit aut suspendit seipsum, ex mœrore id factum, Elias in Thisbi notat. Adde quod multis modis strangulatio fieri possit, non necessario laqueo. Heinsius allegat hebræorum adagium, evenire posse, ut magnus homo à parvâ stranguletur

muscâ. Plinius sanè scribit l. VII. 7. Anacreontem poëtâ acino uvæ passæ, Fabium prætorem in lactis hausu, uno pilo strangulatos fuisse. Unde & phrasin πεπνιγμένον exponunt non de casu præcipitato è loco sublimi, sed de casu in terrâ prono sine suspendio. Ita habet de musto adhuc & lacu fervida opinio, quam & phrasis refellit, & *traditio* ab antiquo ducta habet τὸ ἀπήγξατο utramque significationem & activam & passivam, suspendit se & suspensus est â se. Eadem voce depingitur fatum Achitophelis, quem eodem modo sibimet fregisse gulam, clarè latis tradit *Josephus* l. VII. 9. qui in hæc verba ad suos perorantem inducit, *præstat, ut virum ingenuum decet, è vita exire* (scilicet, ut inter Romanos Cassius Brutus; ne servire Cæsari cogeretur, adacto in viscera mucrone ignominiam redemit: ac ut Saul ultro sibi mortem accivit, ne ludibrio foret Philistæis) *quam Davidi ob filio navatam operam excarnificandum se præbere*

præbere. Traditio extat Ignatio adscripta in Epist ad Philipp, ubi de Diabolo dicitur μετάμελον ἐμβάλλει τῷ προδότῃ, ὁ βλόχον αὐτῷ δείκνυσι, ἀγχόνην διδάσκει: suffragatur tragœdia, Christus patiens, in quâ Judas dicitur ψυχὴν ἀφεῖναι πῖς βροχώμασι τρέχων animum efflare suspendio festinans. Hujusmodi linea sceleratorum ultima JUDAS fuit, pridem THEOLOGUS, post LATRO; pridem Angelus, post Satan; pridem Apostolus, post Apostaticus: pridem Episcopus, post inferni colonus. Surrogabit illi LATRONEM THEOLOGUM, è crucis suggestu concionantem, ac è locupletissimo, quò pollet, thesauro nobiscum communicabit, quæ de hoc argumento meditatus est *Theologus consummatissimus, ac Orator celebratissimus, Plurimum Reverendꝰ & Præcellentissimꝰ* Dn. JOHANNES GEORGIUS DORSCHEUS, S.S. *Theolog. D. Professor Ordinarius & Ecclesiastes disertissimus, Promotor, Affinis & in*

CHRISTO *Frater meus honoratißimus.* Cujus divinum Sophos & linguæ fluenta, ut sæpè estis mirati, ita craſtinâ VIII. matutinâ denuo auribus bibetis, judicio æstimabitis, & quod caput est, ad intima animi sensa admittetis, futuri sic ex *latronibus* (omnes enim nostris peccatis tanquam clavis Christum cruci affiximus, Deicidæ sumus ac parricidæ: sanguis occisi manum prodit sacrilegam occisorum) Theologi: è reis, soluti, è damnatis ad cruces varias, paradisi Cives. Valete in JESU crucifixo. Exaratum IX. April, Anno orbis redemti M DC LXVII.

LATRO.

LATRO THEOLOGUS.



MAgna, Auditores, personarum varietas, multiplex mutationum in personis reciprocatio theatrum passionis Dominicæ occupavit. Comparet ad spectaculum audacibus & contumacibus oculis mortalium & glebæ suæ adhærentium cœtus, ad quod Sol, maximus ille mundi oculus, radios suos retraxit, & in horrorem caliginem q; abire visus est. Comparent e Gentibus, truculentis consiliis opus expedituri, quo nullum orbis vidit atrocius, latronibus DEUM, scilicet, juncturi, DEUM supplicio latronum damnaturi. Nec vulgus dum-

duntaxat Romanæ militiæ apparet genus hominum sanguinarium & immanibus facinoribus adsuetum. Ipse etiam Romani Imperatoris præfectus, quosq; ille in consiliorum & judiciorum suorum societatem adsciverat, autoritate potentiaque sua, horribili decreto præfuerant. Centurio curabat, nequid contra Romanas leges fieret, ubi omnia contra DEUM flagitia adornabantur. Effusa erat insuper universa Hierosolymorum multitudo, non ea duntaxat, quæ sedem isthic fixit atque domicilium, sed & illa, quam religionis observantia non solum ex Judæa & Galilæa attraxerat, verùm etiam ex remotissimis regionibus universi orbis ad festum coegerat. Ex Germania etiam nostra Judæos eò profectos esse certaminique acerbissimo insanos communicasse oculos, certissimum est, si cer-

si certum est, in Germania quoque tum temporis sedes suas eos habuisse; quod Trevirorum, Maguntiacorum & Vangionum monumenta contestantur. Neque erubuerant satiare oculos truces sanguine innocenti ipsi sacrorum Antistites, Synedrii Assessores, familiarum proceres, curæ religionis & sanctuarii destinati; qui insuper neque intra silentii modestiam continere virulentas linguas potuerunt, sed exprobationibus & cavillis abditum pectoris virus & incomparabilem sanguinis sitim prodiderunt. Mulierum mitissima pectora sequebantur benefactoris supplicium, & fletibus comitabantur Jesum, quæ orbis insaniam deplorare debuerant. Pendebant ex utroque latere latrones, qui plerorumque spectatorum vicem sustinebant, locumque compluribus debitum

debitum occupabant, qui ad eam immanitatis lineam nondum progressi, quam Hierosolymitani tetigerunt, infami supplicio destinabantur, ut ipsâ societate augerent spectaculi horrorem. Jam verò quanta in animis comparentium, in memorabili atque incomparabili theatro, mutatio? Quantopere nutat & in omnes partes vertitur Pilatus Romanæ Majestatis custos? quàm diversis rationibus justitiæ patrocinatur & sanguinolentis postulatis resistit? quid non arripit, ut eripiat Jesum è crudelibus vinculis? Lucentem undiquaque sanctimoniam & tot pietatis testimonia quantis artibus suffulsit: rursus quomodo trepidat ad insanos tumultuantis cœtus clamores? quomodo inanibus terriculamentis percellitur & omnem erectæ & pro vindiciis justitiæ promptæ

promtæ mentis sensum amittit? quanta deniq; conniventia supplicium permittit potius quàm decernit, & nefarium eventum pigeret rima indulgentia dispensat. Quam diversis motibus supplicium Centurionem ejusque cohortem perculit? Nunc in crucem extendunt, figunt, extollunt Jesum; nunc felleo potu sitim ludunt magis, quàm sistunt: nunc opprobriis & blasphemiis Judæorum concinunt; ignari prorsus illorum modulorum, ex quibus cantio adornari debuerat, atque adornabatur: nunc crurifragium tentant, & lanceam in præcordia torquent. Maxime solis defectu, & terræ motu, & montium hiatu, & horroribus circumfusis, & tot documentis sublimioris potestatis aliam sententiam discunt, & elogio claudunt theatrum maximo, & omnino profitentur, quod

quod universos spectatores confundere debuerat. Multitudo autem Hierosolymitana quàm fœdo prolapsu tot convictionum, tot beneficiorum oblita est! Quam intolerabili pudendoq; silentio probat Antecessorum nequitiam? Ubi fuistis tot muti, qui beneficium linguæ à Jesu accepistis? cur non contradixistis abominandis calumniis? Ubi fuistis tot surdi, quibus aures recluſit Jesus? quanta negligentia audivistis damnatum benefactorem? Ubi fuistis tot cœci, quibus oculos restituit Jesus? quomodo potuistis è cruce pendentem videre, qui vos è tenebris vindicavit? Ubi fuistis tot luxati, tot claudi, tot convulsi, tot desperati, quos erexit, roboravit, sanavit, firmavit Jesus? quomodo potuistis in cruce videre eum, quem tanquam salutare numen in vestris calamita-

lamitatibus benignissimos in vos oculos conjicientem, sensistis? Quanta ista est humanarum mentium volubilitas? quanta sensuum rotatio? quanta affectuum perversio! Cogitate luctas & certamina in pectoribus hominum, qui ex una parte veritatem, innocentiam, beneficia, miracula sibi proposuerunt; ex altera decreta infamia, rabiem theatri, supplicium turpe, præsentemque mortem stiterunt. Ipsimet quoque sanctuarii Antistites, cum in consilia, testimonia, facinora animos conjecerunt sollicitos, & rursus cum futurorum progressuum anticipitia cogitarunt, verborum Jesu Majestatem, tremendam inter flagra & tormenta constantiam, animum super astra conscendentem & suæ originis assertorem, vaticinia nunquam falsura æstimarunt, denique cum fluctuan-

fluctuantem Reipubl. Judaicæ statum, omnia mutationibus exposita, cum ipsis oraculis priscorum temporum computarunt, quam trepidis mentibus illos ista universa molitos & executos esse existimabimus? Est vero trina mutatio, quæ maximopere Jesum Salvatorem tetigit, Theologus Apostata, Theologus Latro, & Latro Theologus. Magna Apostatarum tum copia circumdedit calvariam, summi Doctoris tunc Academiam, magna latronum! Judæi fœdus, antiquissimis sanctum institutis, & maximis sacrorum apparatibus, perennique sanctissimorum virorum spe confirmatum, ista immanitate plane conculcaverant, & defectione turpi tot vaticiniorum complementum, tantarumque religionum signaculum reprobaverant. Latrocinabatur vero summus

Pon-

Pontifex, qui assurgere debuisset antitypo suo, & tradere observanter cessaturum ad tanti mysterii conspectum dignitatem, & omnino in eo occupari, ut appareret ubique, spem Patriarcharum, & orbis desiderium mortalibus sese miscuisse miseris. Latrocinabatur synedrium, & vanissimis decretis innoxium sanguinem effudit, inque crucem concessit, quem unice sibi vindicare debuerat. Latrocinabantur Pharisæi, qui profundissimam nequitiam velamine severioris disciplinæ velare didicerant. Latrocinabantur Sadducæi, alterius vitæ contemtores, & præsentis immaniter prodigi. Reliqua multitudo, Latrunculorum more, indulsit, aut adhæsit Procerum erroribus, & turpi silentio, satis aliàs in rebellionem proclivis & superiorum decretis refractaria, conjunxit

junxit sese efferatis sceleribus. Pauci intra gemitus, & timida suspiria, & parum profuturas indignationes constituti, aliqui etiam, ad lacrymas & condolentiæ fiduciam progressi, theatri atrocitatem damnaverunt.

Eminet verò Theologus Apostata, quem Dominus Jesus creaverat. Eminet Theologus Latro, quem Jesus educaverat. Intelligitis, Auditores splendidissimi, me primatem Apostolorum Petrum indigitare, cum Theologum Apostatam nomino. Ille divina illustris vocatione, luce perfusus superâ, adhibitus maximis spectaculis, miraculis etiam clarus; promtus autem responsis, scisitationibus, postulatis, magna pollicitatione ad perseverantiam in fide Doctoris sui obstrictus, cum in discrimina aulæ Pontificiæ deduceretur,

tur, & concuteretur quæstionum quibusdam minis, defecit à professione adorandi Domini, in quo eo usque miseranda præcipitatione prolapsus est, ut omnem ejus notitiam ejurarit. Cujus defectionis modestiam & remissam mentionem propterea faciendam censemus, quia illico recollecto animo, lachrymis professus est errorem, absentia prudenter electa temerariæ prosecutionis, intempestivum calorem correxit, denique maximarum rerum in Ecclesia gestibus texit, quicquid nocturnis erroribus turpaverat. Sed Theologi latronis fœdior est & horridior memoria. Quantus enim ille, qualisq; in schola Jesu? Quantum vero proditione latrocinatus est? Non poterant Judæi sanguinariorum consiliorum successus sperare prius, quàm habuissent hunc, ex illustri orbis

orbisque saluti consecrato collegio, pararium. Atque ille quidem supplicio de se sumpto damnavit scelus suum: ideoque nolumus eum stylo prosequi, qui se suspendio commendavit.

Tristibus omissis, lætius quoddam in theatro passionis seligemus spectaculum, in quo nostra sese nunc exerceat pietas. Præbet illud LATRO THEOLOGUS. Ejus pectus, linguam verba, desideria, postulata, incomparabili quadam Theologia, omnium ætatum sapientiam supergressa sunt, & eò usque exscenderunt, ubi mortalis ferè de immortalibus notitia terminatur. Favete, Auditores splendidissimi, animis linguisque, dum LATRONEM THEOLOGUM vobis sisto. Neque enim de eo, post summi magistri judicium, ita loqui possumus, ut non plurima

plurima prætermittamus, quæ nemo nisi magistri verbis differere potest.

At verò, ô maxime inter latrones Doctor Jesu, à Doctoribus crudeliter judicate Latro, respice mentes nostras illo lumine, quo Latronì dispensasti, ut, quam illi Theologiam cœlitus infudisti, depingere, aut saltem attingere valeamus!

Truculentum quiddam, horribile, sanguinarium, ipsum Latronis nomen nostris auribus ingerit. Fuerat antiquis Latro, miles; sive quia à latere fuerat latusque texerat, sicut stipator stipabat, sive quia λάτρῳ conducebatur, sicut stipe stipator. Fuerit verò latrocinari, militare; ita tamen priscam illam significationem deposuit, ut quanquam militiam à latrocinio diu hactenus vix distinguere potuerimus, plus tamen horroris latronis, quàm militis

litis appellatio incutiat. Veteribus Germanis latrocinia nulla notabantur infamiâ, quæ extra fines cujusque civitatis fiebant; exiſtimabant potius, ea eſſe juventuti exercendæ deſidiæq; minuendæ utiliſſima: ubi ex principibus quispiam ſe ducem dicebat fore, ut qui ſequi velint profiteantur; conſurgebant ii, qui & cauſam & hominem probabant, ſuumque auxilium pollicebantur: eos univerſa multitudo collaudabat; qui nolebant ſequi, in deſertorum & proditorum numero ducebantur, omniumque rerum poſtea fides ipſis abrogabatur: Ita quidem J. Cæſar, Germanorum hoſtis, de Germanis commentatur. Sed hanc mentem exuerunt, cum ad humanitatis leges revocati & diſciplina Chriſtiana imbuti, rectius vincula neceſſitudinesque communis ſanguinis æſtimare

Bell. Gall. VIII.

mare didicerunt. Quid enim atrocius, quàm ab homine hominem innoxium, solius amore prædæ, perimi? Omnium scelerum immanitatem, quibus humana societas lædi potest, supergreditur latrocinium. Adulteria, furta, sacrilegia, effossiones sepulchrorum, & quicquid inter mortales invisum probrosumq; fecit damni latitudo, aut facinoris turpitudo, vincit abominatio latrociniorum. Exuisse hominem, transiviſſe in consortium nequissimorum spirituum, bellum indixisse cunctis repagulis legum latro videtur. Ipsæ spelunceæ, ipsi recessus latebræq;, ipsæ viæ latrociniis infames, horrorem transeuntibus incutere solent.

Isto maleficio inquinatus fuit noster, & immanissimo facinore sic penitus infamis, ut tanquam generis sui hostis infami supplicio damna-

damnatus fuerit. Quis crediderit, ad eam claritudinem denique perventurum, apud quem omnia videbantur desperata, quique in abominando stipite hærebat, crurifragium inter miseriarum solatia collocaturus. Subitò tamen Latro fit Theologus, & de altissimis rebus disserere, ipsosq; cœlorum recessus vestigare tentat. Intueamur ipsius Academiam! ea Calvaria fuit, infamis suppliciis collis, ad quam ingens ex Hierosolymitana Academia confluxus. Ibi in cathedra crucis sublimia & admiranda profitebatur Jesus, Doctor orbis, orbis salus. Evolutis æternitatis recessibus & universo corpore cœlestis sapientiæ enucleato, dictabat utilissima & certissima & in æternum profutura. Mira facies auditorii. Hærebat in subsellio crucis & hauriebat exundantem

ex

ex ore Salvatoris ſapientiam Latro, factus Theologus, quam tota multitudo aſpernabatur. In nulla unquam Academia feliciores & velociores progreſſus ad ſapientiam cœleſtem quisquam obtinuit. Nemo unquam in cruce ſublimius docuit. Nemo unquam in cruce didicit perfectius. Conferte omnes orbis Academiæ ſceptra veſtra, veſtras purpuras, facultates veſtras, doctrinarum veſtrarum ordines, auditorum ingenia, ſtudia, examina. In Calvaria eſt ſceptrum potentius, purpura excelſior, facultas altior, doctrinæ ordo emendatior, auditor excellentior. Mirandus ſublimis providentiæ ordo. Doctor crucifixus. Auditor crucifixus. Auditor ex latere Jeſu omnium diris expoſitus. Vera Academia à crucifixo diſcit, non Chriſtum ſpernit. Beatus auditor,

qui cum Christo crucifixus est, qui è latere crucifixi haurit.

Mirandas in latronibus vicissitudines, etiam temporum historiæ nobis commemorant. Nulla autem accidit, quæ cum hac comparari queat. Henricus I. Rom. Imperator, quos cepit, latrones in militiam duxit, ut in hostes converterent istud robur, quod contra Cives usurparunt, & sangvine adverso restinguerent sitim, quâ innoxium concupierant. Sylvius Gyraldus
Itin. commemorat, latronem in Castro
Camb Cambrico apud Britannos detentum artificio quodam sese in libertatem asseruisse. Erant in illo Castro, qui ante carcerem lusitare solebant, generosi adolescentes, Principum Britannorum Filii. Hi, è carceris voragine in lucem extractum, latronem spectare volebant. Carceris custos aperit fo-

re

res, latronem educit. Is inter moliendum facinus excogitavit, cujus successus libertatis spem fecerat. Trahit ad se in carcerem adolescentes, extrudit custodem, fores claudit. Clamor ingens aulam complet. In manibus latronis charissima pignora quiritantur. Accurrentibus ostendit latro, quomodo jugulum adolescentum petiturus esset, nisi sibi de libertate caveatur. Atq; ita, siquidem salvos vellent adolescentes, impunitatem illi sanctissimis obligationibus promiserunt. Arsaces ex Latrone Parthorum Rex effectus est, ea imperii gloria memorabilis, ut subsequentibus Regibus nomen suum dederit, & ex nomine Arsacis nomen officii effecerit. Non procul à Turonibus Galliarum urbe latro pro martyre per aliquot secula cultus fuit. Moses Aethiops ex

latrone Monachus factus est, & ne ad carnis improbitatem revertere-
Lib. 11. hist. Eccles. cap. 36 tur, *verba sunt Nicephori Callisti Xantopuli, Patriarchæ Constantinopolitani*, variis exercitiis carnem domare summopere contendit. Et quandoquè quidem solo pane absq; obsonio usus, quandoq; autem, plurimo opere perfecto, ad quinquaginta die quolibet precationes fecit. Et sex continuis annis noctes totas pervigilio exegit, stans atq; orans, ita ut neq; genua inclinaret, neque prorsus oculis ad somnum propendens conniveret. Noctu monachorum domicilia obiens, clam uniuscujusq; hydriam auferebat, eamq; aqua repletam in locum suum reponebat. Idque ingentis laboris fuit, propterea quod inde locus, ubi aqua fluebat, aliis quidem decem, nonnullis autem viginti, quibusdam etiam triginta sta-

ta stadiis abesset. Neque unquam quemquam fuisse ferunt, qui tantopere mutatus à vitiis ad virtutem summam, quam pertigit, pervenerit. Incredibilis verò fuit dæmonibus terror. Et, quod supra opinionem omnium est, presbyter tandem effectus est, quum quidem quam plurimos eo tempore, quo latronum manum duxerat, interemisset. Et quia talis erat, multos eosq; optimos post se reliquit sectatores, vitâ ad octogesimum quintum usq; annum producta. Tanto successu nonnullos latrones improvisa mutatio extulit. Nullum autem ad istud fastigium perduxit. Nam nondum ultimo supplicio affectos levavit illos felicitas. Noster in extremis doloribus positus, & magnâ perplexitate difficiles gemitus trahens, & imminentis crudelitatis vehementiâ terrefactus, eò

pervenit, ut pene universos superaverit. Duxit quidem Henricus Imp. è latrocinio in militiam, si quos captivos habuit latrones, sed ambiguo eventu & exiguâ prosperioris sortis spe. Noster, è latrocinio in crucem suspensus, eam spem complexus est animo, quæ caduca omnia aspernaretur. Latro Britannus libertatem sceleribus impetravit, animum in scelerum induit vincula. Noster inter clavos libertatem habuit, & cœlum mente possedit. Arsaces Rex factus est, sed Parthorum. Hic noster mundum conculcavit & æternum regnum consecutus est. Quod latro pro martyre cultus est in Turonibus, nihil ad animum ejus pertinuit, quem nihilominus infernus habere potuit. Hujus animum ita consecravit superior vis, ut nulla

ætas

ætas delere possit, ipsa æternitas perennibus gaudiis circumfundat. Sed ab Academia ad Theologiam ipsam nobis progrediendum est. Nolumus autem subsistere ad excellentem ejus dicæologiam, quæ in foro conscientiæ occupata, & ad tribunal DEI operosa, paradisiacæ Theologiæ pulcherrima pars est. Ejus sane vim exeruit adversus eum, qui ex altero Jesu latere pependit, & in societatem exprobrationum atq; insultationum sese dedit eorum, qui magnâ libidine Christi majestatem, tot documentis conspicuam, lacessere non erubuerunt. An ipse sese in eam prius sive matæologiam sive atheologiam quoq; miscuerit, non audemus asseverare. Magni in Ecclesiâ viri jam olim eum hujus criminis etiam reum esse voluerunt. Pertinere scilicet istud ad miraculi magnitu-

Orig. Chrysost. Hilar. &c.

gnitudinem & consiliorum cœlestium inexplicabilem gloriam, si non latro tantum, sed & blasphemus, illico Theologus factus esse credatur. Imò ad omnem fraudulentæ compositionis suspicionem submovendam conducere, si intelligatur, barbarum & contumacem animum per blasphemiæ opprobria prius erupisse contra Christum, quam cœlitus tactus & mentem mutaret & emendaret linguam. Sanctus Matthæus omninò latronibus attribuit effusas calumnias, quem Marcus sequitur. Atqui in sacris monumentis observamus, sociis adscribi haud raro, quod uniex societate, etiam sine alterius participatione, adscribendum est. Intelligamus itaq; , dum latrones audimus calumniatos, ne latronum miseram illam & in horroribus ultimis constitutam societatem

tem illibatam & intemeratam ab intolerabilibus convitiis fuisse, quibus proscissa est Salvatoris immaculata victima. Fuisse ex illa unum, qui eandem cum cæteris tibiam inflaverit, & tanquam extra omne supplicium ageret, lingvam in cœlum acuerit. Nam immunem alterum fuisse, ordinatissimus Lucas perspicue docet. Et quando qvæso conjunxisset sese in convitiis alteri, qui se tantis argumentis ab illo separat, & tanta sanctimonia lacessitum vindicat? At si non secutus est calumniantem, sed pessimo exemplo antecessit, quomodo ausus est talia resonantem refutare? Liberemus dicæologum ab isto consortio. Ille sanè magna vehementia pro summi DEI timore perorat, cujus necessitatem ipsi in suppliciorũ difficultatibus constituto diligenter commendat. Reducit

autem calumniantem & in opprobria effusum ad conscientiæ scrutinium. Ibi legis divinæ tabulas explicari, ibi memoriam scelerum vigere, ibi suppliciorum jura dictari, ibi tantam convitiandi contra semetipsum inq; sinum spuendi copiam ostendi, ut extra quærere, quem maledictis incessas, non opus sit. Ille sanè de se ipso pronunciat, respondere sceleribus supplicia, quibus affecti essent. Justitiæ hoc esse sanctissimum imperium, ut qui toties alienæ vitæ insidiati essent, propriam in cruce relinquerent; qui jura & vincula humanitatis sceleratis ausibus toties rupissent, inter homines esse desinerent. Totam à se charitatis regulam, totam justitiæ lineam violatam fuisse, abjectumq; timorem DEI, magno merito ad ultimas has necessitates ipsos cõjeciſſe. Videtis, Audit: splendidiss.

didissimi contriti cordis documenta, videtis legis in corde anxio fulminantis terrores, videtis tribunal cæleste omnem contradictionibus & excusationibus nervum intercidens. Vis est ista dicæologiæ sacræ, suo imperio relictæ, nec efferati pectoris ferocia, qualis in calumniatore dominata est, ab eo submotæ.

Cæterúm latronem nostrum Theologia sublimior eousq; subvexit, ut magis in Christi, quàm suâ cruce occupatus esset. Agnitor scelerum suorum, ad innocentiam Jesu convertitur, de qua planè persvasus, noxis suis medicinam pollicetur. Neq; n. eum à consortio duntaxat eorum scelerum, quibus ipsi contaminaverunt prioris vitæ cursum, liberat, sed in universum ab omni delicto immunem pronunciat. Nemo mortalium ita mode-

ratus est unquam vitæ suæ disciplinam, ut de eo dici possit, οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξεν. Ille verò in hac innocentiæ professione non substitit, sed totius suæ Theologiæ compendium admirabili prosperrimoq; nervo coram Domino suo Jesu explicat. Videbatur extincta Theologia inter homines, conticescentibus periculoso tempore universis, quos pro gloria præsentium mysteriorum Theologos esse decuerat. Novus Theologus exiguo tempore æternitatem in Cruce doctus, universam exponit. Dominum profitetur! En principium. Regnum profitetur! En finem, ad quem collimant mortalium desideria. Memoriam mortalium in cœlis profitetur. En media illa, quæ benefica illa memoria nostri in cœlis dispensat! Dominum profitetur. Sed non ex Cherubinorum Seraphi-

raphinorumq; classibus. Ab his jam illa præsidia non postulat, quæ proposito votoq; suo sint paria. Altius assurgit. Dominum agnoscit, qui ita ultra & supra omnia mortalia collocandus, ut eadem incomparabili sua memoria gubernaturus sit. Dominum agnoscit, qui ex ipso crucis supplicio viam ad immortalitatem paraturus sit. Dominum agnoscit, qui non in alienum regnum, sed suum rediturus sit. Dominum agnoscit, qui Regni beneficia felicitatemque dispensare possit. Quis ita dominus, ut non sit DEUS? Neq; enim in sempiterno regno Dominus est, nisi DEUS, ita videlicet Dominus, ut incircumscriptis potestatis infinitæ limitibus & ibi dominetur, & hic memoriæ salutaris dispensatione prosit: ita in cœlis, ut

quos

quos in terris habet amatores & assecias & ibi tueri, & sibi cœlisq; asserere possit. Atq; in hoc Domino veneratur alterum Dominum, illum nimirum, qui perpetuâ quadam majestate regnum cœlorũ moderatur, ad quem hic rediturus est, qui huc usq; mortalibus interfuit, ut eos ad Dominum deduceret, qui ad illud suum regnum profecturus est, quod nec Domino hactenus caruit, nec nobis Dominum aufert. Nimirum agnoscit Dominum à Domino. Atq; hic se exerunt Theologi nostri admiranda. Videt pendentem in Cruce, agnoscit hominem, credit moriturum, audit postulantem à DEO pro cruciantibus veniam, attendit lacrymas & clamorem ejus magnum. Quam incomparabili exemplo conciliat DEUM & crucem, DE-

UM

UM & hominem, DEUM & mortem, DEUM & supplicantem, DEUM & lacrymantem. Ingens illud orbis scandalum, quo humilitas à sublimitate DEitatis in crucifixo animadvertendâ pluries avertit homines, felicissimo transitu *Latro Theologus* supergressus est. Regnum & crucem, Regnum DEI sub homine, Regnum & mortem, regnum & supplicem, regnum & lacrymas hic conspirare intelligit. Quis ante hunc Theologum tam diserte in cruce DEUM & regnum, in cruce orbis Dominum, in cruce salutem percepit? Quis tantâ perspicaciâ in homine DEUM, & cœlorum regnum introspexit? quis in morte DEUM & regnum, ut hic noster, pervidit? quis pro aliis supplicem, ut DEUM & regem coluit? aut ibi cœlorum Regem cre-

credidit, ubi ſuſpiria precesq; audivit? Quis in extremis hærentem neceſſitatibus, de altiſſimis & immortalibus bonis compellavit? Prodeat Sanctorum Theologorum chorus, qui aut anteceſſit noſtrum, aut illi coætaneus fuit, & fidem ſuam ad profeſſionem noſtri conferat. Illuſtre Theologorum exemplar credentiumq; Pater Abrahamus contra ſpem credidit in ſpem, & memorabili documento ſe omnibus commendavit. ſed cum frequentibus revelationibus in quandam cum DEO familiaritatem deſcendiſſet, & grandibus promiſſis oneratus de ſeminis ſui gloria, ſibi & univerſis fauſtiſſima ominari potuiſſet. Dum ingenti robore animi ad filii unici mactationem ſeſe accingit & noviſſima ſua gaudia interficere meditatur, egregium

gium Theologiæ ſuæ ſpecimen edidit. Major profecto eſt *Latro Theologus*. Non ille adſvetus erat revelationibus cœleſtibus, ſed vitam inter latrocinia exegerat. Neq; felici admiſſione unquam cum Angelis Deoq; in colloquium deſcenderat. Paulo ante ad ſupplicii conſortium cum Domino Jeſu raptus, quem parum prius oculis uſurpaverat, ita tamen ſpiritu ſagaci & lumine provido penetrat, ut tanta in eo myſteria animadvertat, quæ eminus quidem ſpectaverat Abrahamus, nunquam tamen tam exactè ſibi repræſentaverat. Sed & noſter non Filium ſuum in difficultatibus ſuppliciorum & ultima lucta vidit, in quo ſeſe Abrahami fides validam & victricem demonſtraverat. Jeſum DEI filium, ipſum Dominum in luctu, cruce, lucta, ſup-

ſupplicem, moribundum, non trepidante animo ut ſummum Dominum complectitur. Hoc eſt grande illud & ſtupendum, quod in Latrone Theologo veneramur. Quapropter & Moſi Theologo ſummo anteponendum ducimus. Præſtitit ille DEO fidem, ejusque revelationibus credidit, ſed poſtquam rubi flammas fulgoremq; vidiſſet, cum miraculorum longa ſerie divinæ manus potentiam obſervaſſet, poſtquam miranda præſentia DEUM rebus ſuis negotiisq; intereſſe deprehendiſſet. Quamquam & dūtior ipſi viſus fuerit lapis, quàm ut aquas largiturus eſſet, ideoq; timidius eum pulſaverit. Noſtro tot non ſunt ingeſta miracula, & tamen firmiter credidit, non tam duram eſſe aſperamq; crucem, è qua ſalutem ſibi ſperare non poſſit. Vidit

dit sub spinis Jesum, quæ nulla flamma, nullum in flamma miraculum commendaverat, & tamen tam inaccessas aut metuendas sibi non esse spinas putavit, ut non ex illis Dominum & regnum sibi fuerit pollicitus. Attendite, quibus Deus spectaculis Esaiam, Ezechielem, Danielem, Zachariam firmaverit, ut ad Theologiam perduceret. Nostis, Auditores splendidissimi, solium Seraphicum sonitumq; nostis quadrigam admirabilem, nostis antiquum dierum & fluvium igneum, nostis alia illorum Theologorum momenta. *Latro Theologus* factus est, cum flagra, sputa, colaphos, arundinem, spineum tormentum pro corona, tabellam damnatoriam, crucem, clavos, nuditatem, convitiorum plaustra, solium iniquitatis,

tatis, ſonitum blaſphemiarum, antiqui ſerpentis immanem halitum, contra Jeſum ſuum vidiſſet. Petrus Theologus ſit, ſed cum Chriſtum ambulantem ſuper undas maris conſpicit, quamvis nutaverit indignâ fluctuatione mentis. *Latro Theologus* eſt ſine nutatione, cum manibus pedibusque hærentem in cruce Jeſum contemplatur. Paulus credit, ſed dum vel *voce* de cœlo percellitur, vel in tertium cœlum rapitur. Nulla vox de cœlo latronem noſtrum perculerat. Intellexit ſe eſſe in corpore. Mirum hactenus cœli circa Chriſtum ſilentium. Et tamen ad illud Theologiæ faſtigium progreſſus eſt. Maximus inter natos mulierum fuit Johannes Baptiſta. Munere functus eſt, quo nullus ante mortalium *Latro Theologus* amplitudine

dine confessionis vix illo inferior est. Non poterat digitis suis monstrare, quem toto desiderio suo complexus fuit. Interim lingvam exeruit magnorum mysteriorum indicem, & digitum lingvamq; præcursoris rerum in Jesu agnitarum altitudine superavit. Neq; tamen ille vel in utero materno spiritu sancto impletus, aut inter sapientes sacerdotalis scholæ educatus aut visionibus divinis adhibitus fuit.

Sed pergamus in Theologia. Cum Dominum vocat, quem in cruce veneratur latro, & regni meminit, quod crucifixi sit, jam DEUM & hominem, jam mortalem & immortalem, jam summum & imum, jam impotentem & Omnipotentem in unius personæ ambitu profitetur, jam assequi-

tur

tur illud omni confessione majus mysterium, *DEUM manifestatũ in carne, germen Davidis, Dominum de cælo.* Atq; hinc assurgit eousq;, ut non solum Christum Regem, sed & sacerdotem cœlorum esse intelligat. Sacerdotem cœlorum designat, cum memoriam ejus in cœlis desiderat & exorat. Cœlorum regnum nimirum est illud sanctuarium, ubi conciliandi sumus DEO, ubi transigendum est de salutis nostræ momentis, & id consummandum unde beati sumus. Ad hoc Latro Theologus, aversis à sanctuario Hierosolymitano oculis, contendit suspiriis suis, & illud respicit regnum, ubi memoria magni Sacerdotis Jesu erit beatifica. In cruce itaq; Sacrificium perspexit oculatissimus, quod regno cœlorum illatum

tum, memoriam nobis paraturum esset felicissimam. Quid hac Theologia plenius? Jesum in regno desiderat, Jesum in sacrificio adorat. Jesu sacrificium & regnum copulat, ex sacrificio regnum sperat, è regno Sacrificium intelligit. Atq; hoc est Latronis Theologi Evangelium; *Dominus Jesus crucifixus sacrificio suo regnum nobis adornat; è regno jucundam, beatissimaq; memoriam nostri dispensabit, memor apud Patrem & nos, hic miseriarum, illic gratiarum; qui inter utrosq; Mediator.*

Habetis legem Theologi nostri & Evangelium, in quo *Theologus est Christologus, Kyriologus, Uranologus, Basileiologus, Staurologus.* Sic sanè exprimit

suam

ſuam converſionem integre. Poſtquam irradiantibus divinæ legis flammis tremendi DEI minas propter vitam turpiter exactam magnâ animi conſternatione ſenſerat, nec ullum in ſe pro ſe patrocinium ſpectaverat, totus à ſe abit, & ad crucem Jeſu properat, ibi Patrem in Filio, Dominum in Domino propitium eſſe certus, Jeſu Sacrificium, Jeſu regnum, Jeſu memoriam implorat & ſibi aſſerit. Vult ſui in ſe perire memoriam, in ſolo Jeſu eam deſiderat, ambit, concipit, tenet. Ecce fidem Latronis ſolius Jeſu memoriam implorantis, nec in ſe quicquam proponentis, in quo ratio vel regni vel felicitatis collocetur! Sed ille ad Tribunal DEI conſiſtere cupit, ſcil: ad latus Jeſu, in memoria Jeſu. Hæc eſt Theologia Latronis juſtificans,

Quam

Quam non integris duobus postea seculis in Latrone observavit *Origenes Adamantius*: *Imminet*, inquit, *nobis, qui integram esse scripturam Apostoli conamur asserere, & ordine suo cuncta constare, ut requiramus, quis sine operibus sola fide justificatus fuerit? Quantum igitur ad exemplum pertinet, sufficere arbitror illum latronem, qui cum Christo crucifixus, clamavit ei è cruce,* Domine Jesu memento mei, cum veneris in regnum tuum. *Nec aliud quicquam describitur boni operis ejus in Evangeliis, sed pro hac sola fide ait illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Per fidem justificatus est hic latro sine operibus legis, quia super hoc Dominus non requisivit, quid prius operatus esset, nec expectavit, quid operis, cum credidisset, expleret, sed solâ confessione justificatum comitemque sibi Paradisum ingressurus*

De latrone conversso.

assumsit. Sic antiqvus Theologus à Latrone Theologo doctus. Origenem imitatur Cyrillus Hierosolymitanus seculo Christi quarto. De latronibus, inquit, qui cum Christo crucifixi erant, dictum est, & cum iniquis reputatus est. Ac duo quidem antea erant iniqui: unus autem non usq; ad finem iniqvus permansit. Alter autem ad finem iniqvus, obstinatus ad salutem, manibus quidem affixus erat, sed lingva blasphema verberabat. Sicut & Judæi accedentes movebant capita sua, illudentes crucifixum. Et alter quoq; latro cũ illis infamat, alter autem reprehendit infamantem. Eratq; ipsi finis vitæ principium rectè facti, traditio animæ & acceptio salutis. Et post hanc illius reprehensionem dicit: memento mei, Domine, ad te enim mihi sermo est, relinque hunc, occœcati enim sunt

mentis

mentis illius oculi: mei autem memineris. Non dico, ut operum meorum memineris: hæc enim metuo. Omnis autem homo afficitur bene comiti suo. simul tecum eo ad mortem; memineris comitis tui. Sed non dico aliter, ut mei memineris, quàm cùm veneris in regnum tuum. Quæ virtus te illuminat, ô latro! Quis Te docuit adorare contemtum & simul cruci affixum? O lumen perpetuum, illuminans obtcuratos! Ideo & juste audit: confide. Non quod opera tua digna sint confidentia, sed quia rex adest, qui gratiam cõfert. Longa erat petitio, sed celerrima gratia. Amen dico tibi, hodie mecũ eris in paradiso. O ingentem & inenarrabilem gratiam! Sic itaq; hic sibi regnũ cœlorum vindicavit, sic usurpavit, quod vidit, sic usurpavit sacrificium, sic amplexus est

Domini memoriam. Dum enim memoriam Domini in regno flagrantissimè ambit, regnum ipsum desiderat. Ea quippe memoria propter regnum est. Quid enim memoria in regno Jesu nostri nobis proficua, nisi regni spes sit, & conjunctio cum Domino in regno. *Mirus Latro*, inquit Claræ-Vallensis Bernhardus, *mirè prædicare novit. Vidit meridiano tempore Regem summum pauperis contectum habitu per angustam viam crucis iter facientem in regnum suum, agnovit sub pauperis habitu regias latere opes, invadit Regem latro, spoliat, regias divinasq; opes sibi comparat, quibus sic est locupletatus; ut inter cœlestes principes sit collocatus.* Hanc divini Spiritus vim, qva ad Domini Calomnemonis regnum ipsi via ostensa est ex fidei oculo, dum sentit latro Theologus, & sublimis philosophiæ robore

bore agitatur, jam inter dolores tranquillus, Antecessoris Jesu vestigiis intentus, certissimus beatitudinis, corporis exuvias lubens meritoq; deponit & regnum assequitur.

Sed unde ad tantam Theologiam Latro? Si fides & cor hominis inter admiranda unitorum recensentur, quanto magis fides & Cor Latronis? Dic ô Latro, ubi thronus ex sapphiro, ubi Cherubim & exercitus cœli, ubi corona, sceptrum & purpura, ut eum dicas Regem? Nolite admirari, quod ab illo talia postulem, Auditores Staurophili! Dum Dominum Jesum Latro compellat de regno, authorem procul dubio etiam Theologiæ suæ designat. Nescit enim aliam, quam è regno cœlorum; nec aliam ad Dominum quæ ducat, quam quæ à Domino; nec

aliam, nisi e memoria Jesu, quæ apud eum nobis conciliet memoriam. Sed unde à Domino admirandæ dispensationis beneficium acceperat, & tanto lumine perfusus fuerat? Intererantne Latrones, cum in prætorio Pilati causa Salvatoris agebatur, & illustribus testimoniis innocentia asserebatur: cum ipse se Regem profitebatur, & in gloria DEI Patris futurum, & rediturum in nubibus, & regnum ultra mundanam conditionem habiturum, & interea magno veritatis sempiternæ beneficio orbem gubernaturum testabatur? Si certum esset adfuisse, dedisset hæc ipsa occasio tantæ Theologiæ exordia primaria. Et quidem Pilatus non submovit Jesum ab omnium oculis auribusqi, cum in accuratius examen causam ejus deduxit, ut non emanare causa, tot animos

animos in suspenso morata, & totius Judaicæ gentis commotione agitata, potuerit. Fortassis & Latronum causa unà ventilabatur, & simul conficiebantur tabulæ, quæ sententiam mortis assignarent, & latronum requirebatur præsentia. Nam ex carcere Latrones audivisse Liberatoris nostri magnitudinem & sanctitatem, ille asseverabit, nobisq; persvadere poterit, qui carceris in prætorio situm introspexit, & asseverare potest, tam eum loco examinis prætoriani vicinum fuisse, ut quicquid cum Domino Jesu agebatur, commodè rescisceре potuerit. Et illi tardius auxilium gratiæ illuminantis allegant, qui ex miraculis, quibus in morte effulserat ejus Majestas, Jesum agnitum fuisse affirmant. Nam jam edita erat Latronis Theologia, antequam Christus edidisset illa mi-

racula. Remotius lucis tantæ principium, fama miraculorum & doctrinæ Jesu putari posset. Longè ea quidem lateq; per varias orbis partes propagata est, ut ad Latronum etiam aures penetrare potuerit. Sed scelerum suorum immanitati intentos, parum illa fama perculit. Propiora sunt, quæ in memorabili illo ad Calvariam itinere dicta factaq; sunt, quæq; in ipso monte contigerunt. Abitum illium ex Hierosolymis ad crucem diversis judiciis insignitum fuisse, ipsa animorum diversitas persvadet. Magnum populi confluxum lacrymis prosecutum esse Jesu ad supplicium immane vestigia, divina historia testatur. Sed & mulieres pias fletibus excitasse circumfusam multitudinem, eadem asserit. Mutas fuisse illas lacrimas, quis credat? Quis non potius sibi

plane

plane persvadeat, flentem illam & ingemiscentem multitudinem in prædicanda Jesu Majestate, tot operibus comprobata, disertam satis, satisq; sonoram fuisse. Et hæc quidem Latronum quoq; aures compleverant. Præter omnem quippe opinionem tantæ famæ gloriæq; Viro sociati in supplicio, cum tam diversis distraherentur judiciis, ad hæc tanto concursu, strepitu, apparatu omnia agi viderent, & inter extrema atq; immania omnia magna animi prælentia Jesum ad extrema progredi ita cernerent, ut summa ubiq; & æterna spiraret, potuerunt omnino accendi luce aliqua sublimiori & in notitiam rerum maximarum deduci. Sermo profecto ad mulieres majestatem ejusdem satis indicavit jam variis documentis illuminatis antea. Sed illud plurimum valuit ad per-

tentandos animos, quod Christus apud DEUM Patrem pro crucifixoribus egit. Adhuc summum DEUM suum Patrem nominat, & magna libertate in familiam Patris intromitti cupit eos, qui ipsum è familia ista ejicere fategerunt. Hinc fiducia nasci poterat cæteris, ut auderent & suis sceleribus veniam & sibi familiam cœlestis Patris exorare. Quin & ex ipsis blasphemiis, quibus æterna conculcabatur veritas, effulgebat altum illud & beatum Sophos, quod Latronem nostrum Theologum fecit. Auditur in illis Filius DEI. Miracula resonant. Salus in alios derivata allegatur. Messiæ gloria usurpata objicitur. Doctrina insolita exprobratur. Prædictio Jesu de morte sua pervertitur. Inter calumniosa interpretamenta non amittit vim suam cœlestis veritas. Expugnat

sæpè

sæpè, cum oppugnatur, & sordidata nonnunquam ac contaminata spargit radios, & mentes accendit, mutat affectus, & suam pulchritudinem commendat. Supra ista verò omnia & inter ista omnia omnino agnoscendum esse singularem divini Spiritus ductum, quo Theologus iste formatus à Jesu, & tot blasphemiis, mendaciis, opprobriis oppositus sit, tota rerum series persvadet. Celerrima utiqi inter immensos dolores animi mutatio, qua ad tantum lumen progressus est tantamque fiduciam, ut maximarum rerum spem conciperet, & regnum à JESU crucifixo peteret, magno interim Theologo Johanne & angelicis visionibus illustrata Matre JESU sub cruce obmutescentibus, secretissimum cœlestis lucis illapsum & ultra ordinem dispensatas ex alto vires po-

ſtulat. Nimirum circa primordia Vitæ ſuæ in cunis aut præſepio, Magos & Paſtores extra ordinem ad teſtimonium illuceſcentis myſterii advocavit DEUS. Ultima nunc occidentis vitæ momenta Latronem, nullius apud homines momenti, præconem habent & Theologum, qui tantò minus adornatus ex compoſito videri poterat, quanto minus Chriſto conſveverat. *Benivenius in abditis* commemorat nobis, ſe aperuiſſe cadaver latronis cujusdam è patibulo ſuſpenſi, & reperiſſe cor ejus ob nimium calorem undiq; pilis plenum. Aliter ſeſe cor noſtri Latronis habet. Radiis undiq; fulget cœleſtibus & divina philoſophia coruſcat. Dum itaq; talem in Academia miranda ſe præſtitiſſet, & tanta cum fiducia tantam Theologiam, efficaciſſima ſuſpirantis lin-

gvæ

gvæ brevitate, edidisset, consequitur demq; summum GRADUM, & *Brabeutà JESU, Doctor Paradisiacus, Seraphicus, Cherubicus* creatur. Brevi in Academia, summus in Theologia, in æternum Doctor, Rex, Sacerdos, Martyr. Verumenimvero de Gradu nunc non differimus. In Auditorio sumus, non in Brabeuterio.

Ita autem nos *Latronem Theologum* animis nostris obversantem meditemur, ut caveamus *Theologos Latrones*, qui & Ecclesiam Jesu & cujus nobilissimam sedē Germaniam per cruenta & violenta concilia vulnerarunt jam dudum fæviſſimè. Vulnera illi cœlestibus mysteriis infligunt, dum vel SS. Trinitatem dissecant, vel Domini JESU Personam divellunt, vel Sacramenta lancinant, mutilant, ma-

ctant,

ctant, vel catenam salutis rumpunt, & ex fatali aliquo clavo omnia suspendunt, resecto JESU & ejus beatifica memoria: deinde cum divinis præsidiis latrocinia exculpare nesciunt, ad crudelia vertuntur consilia, &, ubi artibus nequeunt, mortibus pertentant. Nostis proditorem abditarum machinationum, quibus indulgent illi, qui in societate JESU sunt, sicut alter latro atheologus. Omnium preces jam à multis annis erant pro pace, qui JESUM diligunt. Cum illa jam cœlitus monstraretur, & admirando consiliorum temperamento inclarescerent, *Ernestus de Eusebiis Civis Romanus* sumtibus & typis *Theodosii de Sicecela Armona in Ecclesiopoli* edit sangvinarium *judicium*, quo quicquid hucusq; tot precibus datum, tot sumtibus paratum, prosternit, damnat, abolitum

Vid. Antichris. & Invect. in vehicul.

tum cupit, & atrocius bellum, quod ad ultimam usq; guttam Germani sangvinis sæviat, omnibus hactenus decretis præfert. Verè Theologus Latro. Alia nobis vota sunt, alia desideria. Hactenus satis latrocinata est Germania, nunc fiat Theologa. Caveamus omnes, ne postquam Theologiam sublimem hausimus, in Christianis ordinibus constituti latrocinemur. Vulnera Ecclesiæ, corpori sanctissimo JESU nostri inflicta, cruda adhuc & hiantia, videmus; ea nostrorum peccatorum tela, sicæ, hastæ percusserunt. Nolimus ista nostris furoribus distendere. Occupemur cruce JESU & crux nostra miteſcet, fierq; doctrinæ sublimioris sedes. Satis esto, quod in crucem Salvatorem nostrum egerimus, dum latrocinantibus peccatis nosmet commaculavimus

vimus, & cum Theologi creati essemus, Latrones facti sumus. Nolimus nos invicem in crucem agere, aut latrocinia exercere, quibus variis iisq; secretissimis rationibus furiosus sese orbis contaminat; cum Theologiam blandissimam & planè vivificam & nos acceperimus. Sit nobis in affectibus Dominus, sit in affectibus regnum cœlorum, sit in desideriis memoria cœlorum & Jesu, & vera inter nos vigebit Theologia. Id verò ad crucem provoluti à Domino precabimur & Theologiam in preces resolvemus.

Domine Jesu, Rex Calomnemon, Rex Pantomnemon, gratias tibi, quas animo concipere possumus, maximas & immortales agimus pro cruce, gratias pro luce. Aspera & barbara fuit inter homines tui memoria in cruce. Obliti beneficiorum tuorum, quibus eos infinitis afficeras, non aliter tui quam

Latro-

latronis meminerunt immaniſſimi, & infami ſupplicio convitia atrociſſima addiderunt. Turpiſſima oblivio, ſceleſtiſſima memoria! Tuliſti oblivionem, tuliſti memoriam, ſupplicia & convitia tuliſti, ut noſtri apud te memoriam propitiam ſupereſſe teſtareris, & parari nobis apud æternum Patrem beatiſſimam memoriam confirmares. Eam lucem in Latronem è cruce diſpenſaſti, & ſublimem eum effeciſti Theologum. Figura quoq; taliter in cordibus noſtris trucem, diſpenſa pariter nobis lucem, ut Theologia tua fruamur. Molire oblivionem latrociniorum noſtrorum, & tui in nobis para memoriam, ut noſtri in regno tuo vigeat memoria. Memento regni tui, quod in terris conſtituiſti, & beatifica tua Theologia hactenus gubernaſti. Ecce quot quantiq; Latrones ejus arcem irruerunt, ejus robur contriverunt, ejus ornamenta atq; præſidia ſubverterunt. Da pacem regno,

Con-

Conf. Converte Latrones. Obsta Theologu la-
Certa tronibo, qui ne latibulis suis ejiciantur,
mina pacem affulgentem extinctum eunt.
Lojo- Memento nostri in regno tuo, & ex illo
lit. & dispensa quicquid ad illud promovet.
Bene Tua memoria unicum nostrum præsi-
dict. dium. Si te nostri oblivio obruit, in
de Mo cruce manemus & caligine. Memoria
naster tua è cruce liberat, in lucem collocat,
extin- Fac nos obliviſci illorum ſtimulorum,
ctis, & quibus ad latrocinia contra te ſæpe in-
recu- ſurreximus, aut proximum vulneravi-
pera- mus. Fac magis in tua, quam noſtra
tis hæreamus cruce. Per noſtros errores,
ad quos ſuperſtes in nobis infirmitas
incautos propellit. Dic nos Paradiſi ho-
ſpites. Duc nos ad regnum tuum, ut
fruamur tui memoria, & mirabilia
memorabiliaq, tua perenniter prædi-
cemus Domine Jeſu, Rex Calomne-
mon, Rex Panomnemon. Tibi cum
DEO Patre & Sancto Spiritu glo-
rioſa inter nos memoria.

DIXI.

DECANUS

FACULTATIS THEOLOGICÆ
IN ALMA ARGENTORATENSIUM
UNIVERSITATE

JOH. CONRADUS DANNHAWERUS, SS. THEOL. D. PROFESSOR ET ECCLESIASTES,

Civibus Academicis sancta Floralia!

VEris deliciæ flores sunt, quos hactenus magna mater è cœli satu utero tulit, nunc enititur, stellarum imagines, pratorum risus, roris cœlestis calices, oculorum philtra, supra

Basilis

Basilicam Salomonis gloriam venusta: primulæ sc. veris, hyacinthi, violæ, tulipæ, florum q; regina Rosa, purpurâ auroq; renidens, in altam elata sepem, velut regium thronum, spinarum circumcirca satellitio armata, quam nonnemo florum pyropum, hortorum purpuram, odorum sapphirum, Aprilis oculum, veris phœnicem, naturæ pompam appellare est ausus. Hæ deliciæ ut perennarent feliciter, Romani olim festum diem ac florales ludos pridie Calend. Maij celebrandos dedicarunt Deæ Floræ, quæ (auctore Lactantio l. 1. de falſ. relig. c. 20.) *cum magnas opes ex arte meretricia quæsiviſſet, populum Romanum scripsit hæredem, certamq; pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnere suus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellant Floralia. Quod quia senatui flagitiosum videbatur; ab ipso argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur: Deam finxerunt esse, quæ floribus præsit; eamq; oportere placari, ut fruges cum arbori-*

arboribus & vitibus bene prospereq; floresce-rens, eumq; colorem secutus in Fastis Poeta, non ignobilem Nympham fuisse narravit, quæ sit Chloris vocitata, eamque Zephyro nuptam quasi dotis loco id accepisse muneris à marito, ut haberet omnium florum potestatem. celebrantur illi ludi cum omni lascivia, convenientes memoriæ meretricis. reliqua addere pudor vetat, à quibus spectandis abhorruit Cato, qui ideò tantum in theatrum venerat, ut exiret. Eodem respexit Arnobius l. 1. adv. gent. p. m. 25. *in civitatibus maximis, ajens, atq; in potentioribus populis sacra publicè fiunt scortis meritoriis quondam atq; in vulgarem libidinem prostitutis.* Eadem nefanda sacra castigavit Augustinus (interprete Ludov. Vive ad l. 2. de Civ. D. c. 26.) *illic virginem Deam supplicitèr adorant, ante illam turpia celebrant, cuncta obscœnitatis implebantur officia.* Vernum delicium, nobis, qui CHRISTO nomen dedimus, Flos est passionalis, non ille Peruanus, in quo nunc acu phrygio,

phrygio, nunc scalpello, nunc penicillo, nunc calamo depingendo Indicorum Canticorum admiratores non deliciantur, sed luxuriant. GRANATILLAM seu *Granatulam* ob quandam cum malis granatis similitudinem Hispani vocant, audias his illâ carminibus mactantes Poetas;

Ergò formosus cecidit Narcissus in Undas
Flosq; stetit Dominus posthumus ipse suæ.
Heu cecidit funusq; fuit DECOR ipse Deusq;
ultrò lætheas ipse subivit aquas.
Hos clavos, has ille cruces, hanc ille columnam,
hos sentes, hastas, vulnera, flagra tulit,
Vidit & ipsa suum flevit natura parentem,
Elevit & in lacrymas floreaguttа fuit,
quam carpens Indus, Christumnè negabimus? inquit,
qvem fletu est verum terra professa Deum;
Cum desunt homines, sylvarum tesquа loquantur
Et fiunt Domini nuncia turba suæ.

Instru-

Instrumenta necis planta ostenduntur in una,
tantùm non vivi sanguinis unda fluit.

Item:

Regina florum omnes q; proteres, jam mihi
evilescunt, præ novo isthoc germine
& flore florum, qui coronam fert quam Amor
meus cruore purpuravit propr jo:
Flos clavos fert, Amorem qui meum
Transfixerant, flos iste fert pyramidulam,
ad quam flagellis cæsus est Amor meus.
Flos hic ita vincit odore flores cæteros,
ut totus esse nasus optet quispiam,
meliore tractus quàm Catullus halitu:
Flos hic ita formâ vincit omnes flosculos
ut totus optet esse spectator oculus.

Luxurient illi in flore (quem logici vocarent, casu) analogo: nobis prototypo placet: saniori nos halitu afficit Flos Nasarei, Flos Parthenius, Flos Jessæus, Flos Aaronicus, Flos Saronius, flos convallium nemini in accessu, cujus gratiæ in dramate Salomonis

nis bucolico spirant. Dic quib. in terris nascantur nomina Regum inscripti flores? in Golgathæis graveolentissimis suaveolentissimus flos palâm erectus nomen inscriptum habuit, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. *flos Mariæ Christus*, ait Ambrosius l. 2. de Sp. S. c. 5. *sicut ipse dixit, ego flos campi & lilium convallium. Flos odorem suum succisus reservat & contritus, nec avulsus amittit: ita & Dominus Jesus in illo patibulo crucis, nec avulsus evanuit, nec contritus emarcuit; sed illâ lanceæ punctione succisus, speciosior fusi sui oris colore vernavit, mori ipse nescius, & mortuus æternæ vitæ munus exhalans*, nimirum, juxta illud Apostoli, Christus in Evangelio tanquam διὸσμῷ seu quodam perodorio passim gentium delatus salvandis *odor factus est vitæ ad vitam*, suo vitio *perituris odor mortis ad mortem*; Hunc odorem simul ac nare sagaci venatus est Latro conversus, mortuus est, ut æternum bene vivat cœli Candidatus Paradisi factus incola;

cum

cum abhorruit alter scarabæus, bis mortuus est, eâdem sorte, quâ etiam Judas Iscariotes periit. *Latro Theologus* ex hoc flore cœlestes odores avidissimè imbibit, fastidiit *Theologus Latro* Domini sui nefarius proditor: illius exemplum antehâc bonis ad speculum quasi vivum q; representavit Celebratissimus Orator, *Vir plurimúm Reverendus, Amplissimus & Excellentissimus* Dn. JOH. GEORGIUS DORSCHÆUS, *SS. Theol. Doct. Prof & Eccles. præclarissimus, Collega, Affinis & in Christo Frater honoratissimus*: hujus (*Theologi* sc. *latronu Judæ*) idem in solenne auditorium producere cras horâ VIII. constitutum habet. Hæc sunt nostra annua & sacra *Floralia*, quibus *Flori Nazarei* parentat nostra Academia, quoties

Vere novo gelidus canis è montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit.

Deponite tantisper, Cives Academici, è manibus oculisq; vestros Stagiritas, Justinianos, Galenos, qui solam naturam redolent, non naturæ restauratorem Christum;

deponite Plutarchos, Curtios, alios, in qui
bus Alexander Magn⁹ ab odoris fragranti
laudatur, qui in Danielis entheati naribu
hircum oluit! Accurrite ad has vernas Chri
ſticolarum illecebras, advolate apes, avid
trahite omnia nare, quas propinat fidei na
ribus hauriendæ Salvator, advolate ad deli
catiſſimum cadaver aquilæ cœlo initiata
Venite (liceat Hebræi Sophi Philonis, ſive il
lius, qui Claudii vixit tempore ac Moſe
Ατπκίζων dictus eſt, ſive antiquioris Oni
coætanei è cap. II. libr. Sapientiæ verb
athea in entheata mutata, parodiâ quadan
cõfectari) *fruamur bonis, quæ ſunt & utamu*
Creatore crucifixo, tanquam in juventute ce
leriter: non prætereat nos Flos temporis: coro
nemus nos roſis cœli nunquã marceſcentibus
nemo noſtrũ exors ſit odoratus ſalutaris: ubiq
relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ ſpirituali
quoniã hæc eſt pars noſtra, hæc eſt ſors noſtra
Efficiet Orator noſter facundiſſim⁹, ut ne
minem præſtiti recurſus ac advolatus pœ
nitere poſſit. Exaratũ & intimatum Calen
dis Aprilis, Anno Domini nati M. DCLII

THEOLOGUS LATRO.



Antiquissimum Spirituum origini suæ adversariorum consilium & facinus est, orbem latrocinio contaminare. Postquam enim ipsi suum conspurcarunt genus, & cum supra conditionis suæ perfectionem decusq; assurgere tentassent, infra cæterarum creaturarum viliratem ceciderunt, hoc unum præcipuè moliri cœperunt, ut, cum cœlis suam pulchritudinem, sua lumina, suas facultates; elementis suam vicissitudinem, suam fœcunditatem, suos thesauros; mineris in montium recessibus suas divitias; plantis suam fra-

grantiam, suum succum, suos fru-
ctus; animalibus sui generis curam
in maxima diversitate valde indu-
striam adimere nec possent, nec si
possent, ad libidinis suæ magnitu-
dinem sufficere existimassent, cel-
sius sibiq; nuper proximum creatu-
rarum genus aggrederentur & ex
eo excitarent immanem quendam
latronem, qui uno ictu infinitam
multitudinem interficeret. Homo
is fuit primus. Is ad latrocinan-
dum sollicitatus initiò, post plane
persvasus, omnibus creaturis cæ-
teris dolorem & dedecus intulit, &
pessimis spiritibus spectaculum ju-
cundissimum exhibuit, in quo suo
desiderio satisfactum conspexe-
runt. Sic impedimentum cœlo-
rum potestatibus injecerunt, quas
in homines sparsis benignissimis
radiis explicaturi fuissent, nunc
prostrato homine, exiguo profectu

& ad-

& adversis sæpe stricturis contrarium efficiunt. Sic cæterarum creaturarum in usum hominis integri disposita acies turbata fuit, dum homo latro factus est. Quantos autem? quo nemo unquam crudelior, nemo unquam ferocior, nemo immanior fuit. Tanto certè horribilior, quanto ad hoc facinus progressus est contrariis virtutibus instructior. Deus in eum omnia ornamenta contulit & eum sua imagine lucere voluit, ut cæteris dominaretur creaturis, & in mundo hoc, quem oculis usurpemus, solo Deo minor esset. Mentem ea instruxit sapientia, quæ latrocinii arrocitatem satis intelligeret. Affectus illis complevit justitiæ sanctitatisq; dictaminibus, quæ à fœditate sceleris fortiter absterrerent. Monuit, ne tentaret, quod tentator suggesturus esset,

nec se latrocinio abominabili inquinaret. Contra hæc omnia inflammatus, non veritus est latrocinari. Et sibi quidem vim tantùm intulisse videri poterat. At ulterius latrocinium progreditur. Universam posteritatem hominis nuper conditi morti dedit. Quotquot passim universus terrarum orbis deglutivit hactenus cadavera, quotquot Oceanus & longè lateq; diffusa hauserunt maria, singula ab ista strage sunt. Ut liberi parentum deflerent funera, parentes liberorum turbato mortalitatis ordine sequerentur, ab illa strage est. Ut connubia solverentur intimis affectibus pleniſſima & svaviter culta, ab ista strage est. Ut familiæ ampliſſimæ nobiliſſimæq; concidérent, respublicæ funestis conspurcarentur cladibus, societates in mutua ruerent vulnera, ab ista strage est.

Hoc

Hoc latrocinio regnis felicissimi Reges erepti & trucidati, Rebuspublicis ademptus Senatorum fulgor, Consiliis submota assessorum gratia. Hoc cœtibus sacris Antistites, Doctoresq; interfecti. Hoc chorus, forum, thorus evacuati. Quod Asia, Europa, Africa, America luget, ab hoc latrocinio est. Sed abstrusius quidpiam est, quod plurimum exaggerat latrocinii istius amplitudinem. Quantus hominum numerus orbi eripitur secretis voluptatibus, dum nequiter eluditur fœcunditas ab illis, quæ vel pariendi difficultatem fugiunt, vel à gestandi oneribus abhorrent, vel sobolis curas abominantur, vel desperant alimentorum præsidium. Atq; is tot hominum interitus ab isto latrocinio est. Quanta mortalium multitudo in utero extingvitur, eaq; non casu tantum, sed etiam

de industria, qua nec in propria viscera sævire exhorrescunt barbaræ matres? Cogitate non Monachorum tantum scelera, sed & Monialium furta. Cogitate solitariorũ abstrusas libidines; quantum in illis claustris intercluditur generis nostri augmentum, quantus in solitudinibus impeditur numerus, dum sine sobole esse volunt, casti esse nolunt. Advertite, quam infinitus sit numerus eorum, qui ab origine vitæ in mortis incidunt casses, ad eam ætatem progredi nequeunt, in qua prolem orbi sibiq; posteros adqvirere possint. Quanta sic perit propagationis series, quæ absq; isto latrocinio nunquam fuisset interrupta. Decurrite per tot secula, quibus hic mundus stetit, & computate generationum interversionem, quam peperit ista truculentia. Infinitæ etiam sunt familiæ, quæ

quæ, postquam latissime per multa secula sparserunt sobolem, demum exaruerunt. Gentes integræ, quæ terras olim inundarunt & ad migrationes ipsa fœcunditate concitatæ fuerunt, dum angustis sedibus amplius non possent contineri, nunc intercidérunt, aut ad reliquias exiles redactæ fuerunt, quæ non desiissent sese diffundere, nisi à latrocinio flebili cadendi illis imposita fuisset necessitas. In bellis, quæ per omnia orbis & secula & climata furoribus sæviissimis passim concitata fuerunt, dum flos & robur cadit juvenum, dum Virorum perit vegeta ætas, quid aliud, quàm cum salute publica generis humani subvertitur perennitas? Quotquot morbi conficiunt, aut supplicia propter flagitia decreta, qui supereſſe possent & proseminare posteros, nisi vel illis affligerentur,

vel his afficerentur, isti latrocinio suam calamitatem, suum interitum acceptum ferunt. Jam quid illa ætatis humanæ brevitas & corporum raro in seculum duraturus vigor mortalibus augendis detrahit? Si in consilia latrocinandi non consensisset generis nostri parens infelix, ætas humana perennibus auctibus decorata sub temperamento immutabili cœlitus decretam consummasset periodum, & tot secula durare potuisset, quot nunc vix annos exigit. Quantum exinde rursus futurum fuisset generis nostri incrementum! Dum enim etiam post feralem ictum, à capite in posteros protensum, homines, antequam diluvio terræ submergerentur, per aliquot secula superfuerunt, quam brevi tempore in terra sparsa fuit innumerabilis hominum multitudo? Addamus

& hoc

& hoc, quod mundo interitus ex isto quoq; latrocinio decretus est, in quo planè abrumpetur rerum propagandarum tela & generis etiam nostri multiplicatio. Stetisset hæc vasta & pulcherrima machina, luxissent sydera recursibus nunquam terminandis, elegantissimum inferiorum corporum fomentum omnibus porro seculis suffecisset, elementorum in animalia servanda faventissimus consensus nunquam exuisset destinatum munus, animalia ipsa submisissent se perenni observantia hominibus & suam ostendissent sobolem, amplissimi dominatus jucundissimum & subinde numerosiorem exercitum, ipse homo tot quilibet myriades genuisset, quot filios filiasq; ex se prognatos vidisset. Quam incomprehensibilia hæc fuissent augmenta! Interlabente fœdo tristiq; latrocinio

non solum non assequimur illam augescendi gloriam, sed non eam, quam probrosam habemus, & mille impedimentis obnoxiam, fœcunditatem tandem cum finiente mundo amissuri sumus. Sed nondum exhausimus latrocinii abyssum, quo in posteros crudelis fuit primus homo, quia nondum in animum respeximus. Quod corporibus mors illata & tot nocumentis vita labefactata fuit, magnum id quidem est & deplorandum; tolerabile tamen id omne fuisset, si animis suus relictus fuisset vigor, sua servata integritas. At his vita erepta sanctissima & perfectissima. Orbati Deo suo, exuti sapientiâ, sanctitate privati, justitia dejecti, puritate detrusi, quid retinuerunt, nisi id quod quavis corporum destructione pejus est & deflebilius. Hoc est omnium scelerum & miseriarum semi-

narium

narium, ex quo causæ oriuntur diversissimæ moriendi necessitatis, qua corpora mortalium succumbunt. Imò latrocinium istud eò immanitatis contumaciter insurrexit, ut ad sempiterna supplicia & horrendam cum rebellibus spiritibus carceris societatem universos mortales præcipitarit. Quid enim postquam adversus se latrocinatus erat primus homo, aliud in lumbis suis continuit, futuris generationibus mundo inferendum, quàm meros inferorum hospites, mancipia ignium æternorum, miseriarum nefandarum alumnos? Cum per se latro omnem humanitatem exuisse censeatur, is tamen crudelior habetur, qui novit, si quem hoc temporis articulo interfecerit, eum non tantum deinceps caritarum vita, quæ hujus mundi circumscribitur cursu, sed & ea quæ:

quæ post hanc depositam Deo sociat, & ut semper male sit, ad inferos prolapsurum. Meministis illius duellatoris crudelitatem, qui cum hostem in potestatem redegisset, vitam precanti ea lege concessit, ejuraret omnem cum Deo suo conjunctionem, & tamen postquam ejurasset, contra datam fidem gladio transverberavit, immaniter odio suo indulgens, quod & hujus & æternæ vitæ usuram intercepisset. Eò collimavit latrocinium primi hominis. Ille uni, hic omnibus. Sic qui Theologus Angelis proximus conditus fuerat primus homo, Latro factus est omnium maximus, quotquot inter homines insurrexerant. Nec tamen latrocinari & grassari ita in Deum ausus fuit. Postquam autem Deus, latrocinio horribili occursurus, mortalibus sese induisset artubus, &per-

& perditis assimilatus esset, ut eos servaret, novus ex Theologo latro fit, qui neq; Deo pepercit. Intelligitis, Auditores, quem indigitem: Judam nimirum Iscariotem, Theologorum monstrum, latronum primipilum, alterum Satanæ instrumentum. Nam cum primo homine contra Universitatem hominum velut latrone usus olim fuisset, nunc hoc orbis propudio adversus Filium Dei velut latrone utitur. Est hoc scelus in concursu tot flagitiorum, quibus ad mortem præcipitatus est Dominus JESUS, mortis victor, maximè eminens & atrocitate sua valdè animos hæc talia commemorantium percellens. Igitur postquam abhinc sexennio Latronem Theologum hoc loco exposui, nunc brevi sermone Theologum Latronem explicabo. Favete animis, Auditores, & interpreta

pretationis benignitate festinatam commentationem juvate.

Da JESU mitissime, latronem iniquissimum æquanimiter passe, ut dolorum tuorum ex hoc latrocinio magnitudinem quadantenus adumbrare & pectoribus, tuorum solatiorum avidis, penitissime imprimere queamus!

Vide de hoc nomine Drus. Comm. ad voces N.T. p. 96 & de Dieu Matt. 10 p. 56

Judas Ischariotes, quem patria communiter censetur à Juda Thaddæo distingvere, licet alia alii tradant, quod nunc nostro instituto haud opportunum est disquirere, est, quem turpi latrocinio filium Dei adortum esse contendimus. Homo fuit, quem homini lupum esse, contra humanitatem est; Deo lupum esse, infandum & supra omnia scelera est. Dum se respicit homo, dum sua omnia perpendit & examinat, dum ejusdem secum generis alios intuetur, dum intra

præcordia latitans cordis sui tribunal audit, dum totius universitatis leges ordinemq; considerat, totus ab hominis internecione avocatur. Animal, quod mens supra cætera extulit, quod summorum bonorum capax est, quod immortalitate instructum gerit spiritum, vindicias post scelus postulantem, & suam possessionem, de qua dejectus est, requirentem, ita violentis invadere ausibus, ut destruatur, ejus est, qui se hominem esse dememinit. Hominem autem in Deum conditorem suum assurgere, id quidem extremæ insaniæ est. Judæus fuit, ex tribu sive Ephraim, sive Judæ, sive Naphtalim (dissentiunt rursus Interpretes, quos aliàs expendere licet) oriundus. Iraque à profanis cæterarum nationum moribus & barbaris institutis ipsa sanctissimæ legis præfinitione secretus. Cum

octiduum inter mortales esset, signaculo fœderis DEO obstrictus,
T.10. deinceps disciplina sanctitatis im-
serm. buitur. Quanquam, si verum est,
28.p. quod tradit Autor sermonum ad
2332. fratres in eremo, qui inter Augustini Hipponensis Episcopi latet scripta, scelerata vita fœderi postea renunciavit. Sic enim Judam alloquitur: O Juda quid facis? Attende antequam facias. Nam post factum forte gratiam pœnitendi habere non poteris. Quid eupis tradere, qui tibi multa peccata pepercit. Nunquid à morte te sæpe liberavit? Nunquid tui amore patrem tuum liberavit à lepra? & matrem cum qua concubueras à paralysi etiam liberavit? Sed sermo prodit hominem, nec uspiam reperire licet, unde ista hauserit. Quicquid sit, à facinore tam immani erga quemvis alium tentando

satis

satis dehortabatur eum lex tot fundata rationibus, tanta stabilita autoritate. Judæum in summam Judææ gloriam furere, & Domino gloriæ mortem moliri, hoc verò tam sanctis imbutum institutis mirum in modum dedecet. Discipulus Jesu fuit. Hoc supra cœtera fuit. Humanitatem cum plurimis communem habuit, qui parum ad humanitatis normam suam composuerunt vitam. Judaismum cum multis amplexus est, qui tamen præter evanidum in carnem fixum characterem vix aliquid de disciplina sanctissima reliqvuum habuerunt. Dum autem ipse in disciplinam Christi translatus fuit, jam non tantum ad humanitatis officium revocatus est & quid hominem supra juxtaq; se deceat commonefactus, sed simul etiam ad Judaismi veteres rationes reductus,

quas

quas sequior ætas, traditionibus obscuræ originis indulgens, vehementer obscuraverat, ut in Judaismo vix Judaismum reperire licuerit. Accessit in illa Schola reseratio vaticiniorum & spei Israelis, notabantur characteres temporum, signa sperandorum, testimonia venturorum. Docebantur mysteria, quæ priscis Patribus revelata fuerunt: quæ ex his insuper orituræ essent. Felicitas imminentis seculi aperiebatur, & quam prope tot desideriorum esset tranquillatio, indicabatur. Ipse JESUS renudabat pectus suum, & quod alibi occultabat, in Schola detegebat. Se esse lucem orbis, desiderium Gentium, Patriarcharum & Regum oculiferium, Salvatorem orbis, Restauratorem omnium. Ad hæc arcana Judas admissus, ad sublimia quæque invitabatur. Inde jam sibi

sibi gratulari, omnibus bene ominari debuit, postquam tantis hilaribus pectus adimpleverat. Utquicquam è consiliis mundi amplecteretur, quod tantarum rerum contemtum indicaret, nullo modo sibi convenire, existimare debuit. Tandem ex discipulo jam ipse Theologus, legationi ad Israelitas decretæ adhibetur. Postquam passim, sed pedetentim, Filius DEI salutarem apparatum, quo orbis refingendus fuerat, docuit, & nunc hic, nunc alibi peragratis regionibus experimenta suæ originis dedit, decrevit famam adventus sui excitare ampliorem, & missis è disciplina sua duodecim, in paria sex distinctis, erroneam plebem in viam salutis revocare. Inter hos Judas etiam miraculis claret, claret doctrinæ luminibus, redit gratulabundus, triumphator diaboli,

& tot

& tot animarum lucro inclytus. Post primitias has laborum retinetur in sanctiori Collegio, quod interioris admissionis apud Christum fuerat, & ad orbis conversionem instruebatur. Hoc profectò munere nunquam augustius inter homines distributum fuit. Quantum enim quæso fuit, quod abistis duodecim Viris regnis omnibus atq; dominiis inferendum erat lumen cœleste, quod tenebras densissimas dissiparet, & radicatis penitus erroribus evellendis manus adhiberet. Hoc in fastigio positus Judas, & tum aliis se deformat sceleribus, tum deniq; latro fit. Quid enim dubitabimus latronem appellare, qui consilia interficiendi JESUM agitantibus Synagogæ & Reipubl. Hierosolymitanæ Proceribus se antecessorem offert, & indicem opportunitatis, qua in crudeles

deles manus incideret & scelerato judicio ad supplicium abominabile raperetur? Nonne ipse dux fuit cohortis militaris cæterorumque, quibus hoc unum in votis erat, ut quamprimum ab infelici ligno penderet & moreretur? Itaque non latro tantum fuit, sed etiam latronum antesignanus & caput. S. Stephani judicio, quotquot in mortem JESU conspirarunt, proditores & homicidæ sunt. Injustis manibus accepisse eum & cruci affixisse Judæos quiritatur & exprobrat S. Petrus, etiam qui ne manibus attigerunt eum, sed vel conscii fuerunt facinoris, vel consiliorum sanguinariorum moderatores, vel captionis arbitri, vel accusationis improbæ dictatores, testesve mendaciorum, vel deniq; desiderio interfectionis accensi. Et quam nequiter quæso audaciam molitionis

Act. 7. § 2.

pessi-

pessimæ adornat! Ad consvetas preces circa vesperam Dominus JESUS in hortum sæpius frequentatum cum reliquo cœtu discipulorum exit. Judas ex convivio ultimo, in quo aperte propositum abominabile ipsi ab omniscio Magistro exprobratum fuit, digreditur, maturandum ratus, quod antea fuerat pollicitus, ne detecta jam consilia eludantur. Itaque cum eo, quo solebat, sese contulisse resciviſſet JESUM, manipulum latronum accersit, invitat ad spectaculum Proceres, appropinquat horto, introspicit, ingreditur. Vix JESUS à gravissima lucta, ubi cum inferis latronibus decretorio congressu pro orbis salute pugnaverat, assurrexit, adhuc sudore sanguineo madidus, & in infirmitate sua dormitantium discipulorum imbecillitati fulciendæ intentus, &

ecce

ecce novum ſtruitur periculum. Quo prævilo, ut Judam ab immani propoſito, jam ad ultima fere progreſſum, avocaret, &, antequam ſe permitteret manibus videntis, aliquod documentum ſuæ proponeret potentiæ, JESUS ſe offert intentis ad prædam, & quod is eſſet quem quærant, indicat, & pro diſcipulis ſuis liberandis imperat, & hoc animi robore latrones repellit & proſternit. Immixtus proſtratis Judas alio animo ſurgere debuit, nec pergere in infelicibus conatibus. Si enim omnem Magiſtri depoſuiſſet memoriam, ſi miracula omnia in aliis conſpecta pro meris fraudibus atq; ludibriis cum Primoribus Judæorum cenſuiſſet, ſi omnia alia, quæ ſumma & divina de eo vidit & audivit, inter deliramenta & impoſturas numeraſſet, cum tamen nullis machinis aut armis

mis ad mortis, sola voce, seq; suosq; abipso prostratos sensisset, causam, cur animum sceleratum abjiceret & extemporanea pœnitudine ducerentur, habuisset gravissimam. Ille vero surgit propositi tenacissimus, nec, quid factum esset, sed quid promiserit, attendit. Ne alius pro JESU comprehenderetur, ipse autem elaberetur, noluerunt etiam recollecti credere se sistenti, sed expectarunt proditoris signum. Osculum delectum fuit, quod Judas Magistro figere debuit prius, quàm caperetur. Talis non erat doctrina de osculis Judæ Theologi. Ea osculum pacis & amoris signum esse voluit, non proditionis turpe velamen. Sic inter sanctos Patriarchas habitum illud, sic à piis omni ævo usurpatum, sic à Christo ipso exercitum. Nunc ex Theologo Latro factus & osculum mutat, fitq;

fitq; latrocinationis ſucceſſuræ auſpicium. Addit oſculo verba ſalutis nuncia & Magiſtrum agnoſcentia, quod ad immanitatem etiam impudentiam prodit. Mirum, quid Origenes Adamantius in animo habuerit, cum cenſuit, modeſtiam in Juda ſuperfuiſſe, cum ſic ſcelus aggrederitur. Effrene, inquit, hoc nimis, ſi dixiſſet, quemcunq; percuſſero, vel in quemcunq; violentus quoquo modo irruero. Mirum, qui verecundiam Beda agnoſcat, cum inquit: Retinens adhuc aliquid verecundiæ non accepit ſignum violentiæ, ſed amoris. Quaſi vero non extremum temeritatis attigerit, cum oſculo contingere ſanctiſſimam faciem auſus eſt, quam cruentis manibus ſubjicit, cum toties ſpectaſſet reſonantem verba ſalutis. Quaſi non omnem pudorem abjecerit, qui Ave ſuum

Tract. 35. in Matth.

Marc. 14.

ingeminat, cum prodit, qui Magistrum nominat, nec magisterium veretur, qui Magistrum nominat, quem Carnificibus tradit, qui Magistrum nominat, & non magistro sed ejus hostibus ministrat. In tenebris ista adornata sunt velamenta nequitiæ, sed laternæ facesq; cohortis prodiderunt tenebrionem, dum ejus osculum expectarunt. Qui quo stimulo ad tantum fastigium malitiæ conscenderit, haud satis assequor. Id satis persvadet nobis summa Dei opt. max. bonitas, summa sapientia, summa justitia, immensus generis nostri amor, quod nullo ab æterno condito decreto ad hoc facinus designatus fuerit, neq; etiam tum, cum ad illa consilia devolveretur, ullo divino præeunte motu aut determinatione protrusus. Scholæ adversariæ hic Judæ patrocinantur,

quæ

quæ vel ex abdito æternoq; ista omnia derivant decreto, vel ex præ-determinatione actionis nefariæ originem deducunt. Quorum hoc cum jam diu Dominicanorum Schola magnâ contentione docuisset, hoc assecuta est, ut in Calvini ludo laudaretur & orthodoxias encomium reportaret, in Lojolæ societate conspirationis cum veritatis hostibus accusaretur. Sic ex illa parte Scholasticus orthodoxus lucem aspexit, ut tenebricosis de causa peccati opinionibus patrocinaretur; et ex hac parte proditæ religionis quiritationes auditentur. Posita Dominica n. sententia, inquit Magnus Lojolita, vera esse probaretur querela hominum, dicentium, Deum ex odio & libidine puniendi cunctas eorum res disposuisse & accommodasse etiam illas, quæ maximè videbantur benevo-

Paulū Ferriū.

Ruiz. de Volunt. Dei p. 365.

lintiæ indicia, beneficiorum numero censenda & ad spiritualem utilitatem & præmü consecutionem destinata. Potiori ad huc jure conqueri potuisset Judas, quod fuerit assumptus ad dignitatem Apostoli, scholam & familiaritatem Christi, creditaq; sihi fuerit totius collegii procuratio, si ea omnia destinabantur ad eum finem, ut Deus voluntarem Judæ physicè prædeterminaret, ad affectum avaritiæ intensissimum, quo summè pecuniam amaret, & pluris æstimaret, quàm Christum, unde puniretur in præsenti atq; futuro. Viderint tamen *Vasq.* Lojolitæ, ne in eodem luto hæreant, *in* 1.2. ex quo ita conspergunt Dominica- *q.* 90. nos. Sunt sanè etiam inter ipsos, *a.* 4. qui nihil obstare existimant, quo *Tann.*, minus Deus optimus Judæ & cui- *T.* 1. *p.* vis alii habitum vitiosum sive sit *605.* avaritiæ, sive proditionis, sive cujuscunq;

juscunq; impietatis, infundere poſſit, qui ita in animo reſideat, ut non deſinat ad actus ſceleratos inclinare, aut laceſſere. Diſcedimus ab horridis illis pronunciatis; quibus Deus ipſe demum latro conſtitui tur & generis noſtri impurator omnium maximus. Quam verò omnia contraria agit innocentiſſimus JESUS. Quanta verborum pondera, quibus adamante durius pectus perculit, cordium Dominus? Amice, cur ades? Membrum tu nonne ſanctioris ſecretioris q; mei Collegii? Nonne particeps omnium beneficiorum, & penitiſſimos in complexus admiſſus? Nonne tibi cœlos aperui, &, ut ſimiliter tu illos aliis aperires, Te inſtitui? Nonne magnum Te orbis lumen deſtinavi? Cur ades? anne ut te reliquis ſociares, & meam intuereris luctam? En! madentem

Conſ. Ruiz. de vo. lunt. D E I Diſp. 20. p. 232.

cruore? Sed quid iſte comitatus, quid arma? quid fuſtes? quid faces? hosne conciliaſti regno meo & in diſciplinam meam redegiſti? Anne vero transfuga factus in ipſorum conſilia ſeceſſiſti? quid agitas oſculo, quid ſalutatione machinaris blanda? Juda, audis nomen, quo te compellavi infinities, cum deducerem in myſteriorum meorum ſapientiam, tunè oſculo me perdis, tunè ſalutatione perditum cupis? Me filium hominis agnoſce, illum tot notatum monumentis, tot deſideratum ſuſpiriis. Quid iſta jurgia JESU, ſi ex abdito divinæ poteſtatis proficiſcitur omnis Judæ machinatio? Equidem hic in conſilia æterni Patris introſpicit & agnoſcit eam voluntatem, cui paulo antea omnia ſua ſubmiſit. Sed ab illa eſſe, quod Judas, poſtquam ex erroribus ſeculi

culi ad sublime munus fuit admotus & tempore longo in disciplina orbi lucem sempiternam conciliatura versatus, sese Pontificibus Hierosolymitanis stitit, sese ad proditionis fœdum facinus obtulit, quod triginta argenteis fidem suam illis obstrinxit, & tantillo pretio tantum Magistrum tradere pollicitus fuit, quod animo tam malignè alienato cœtui sacro rursus sese miscuit, & consilia Domini sui ad ejus perniciem interpretanda expiscatus est. quod ultimæ cœnæ interfuit, & beatificæ mensæ pectus conscium latrocinii abominabilis admovit, quod ad detectum à Magistro propositum animum obfirmavit, &, cui se semel nequiter devoverat, ei immota pertinacia inhærere decrevit, quod egressus est è triclinio, ut Magistro, qui paulo ante ejus pedes lavit, balneum

cruentum pararet, quod gratulabundus Pontificibus occasionem exoptandam potiundi Domini sui indicavit, & quàm maturanda essent consilia, quæ jam ille explorata haberet, monuit, quod ultima facta illius procul dubio cum subsannatione & morsu apud hostes mysteriorum divinorum traduxit, quod viam ingressus est, ut è medio tolleret viam salutis, quod horto appropinquavit, ut paradisi ostium obrueret, quod osculum, nefariam proditionis tesseram constituit, quod magna industria latronum agmen moderatus est, & ubiq; vestigia malignitatis posuit, quæ feliciter sequerentur, hæc, inquam, nefaria & crudelia omnia à suprema voluntate ducere originem, non agnovit cœlestis sapientia. Sub illa hanc malitiæ telam pertextam fuisse & permittente illa, abrum-

pen-

pendam tandem, cum saluberrimum opus confectum fuerit, novit JESUS. Sponte tamen hucusq; prolapsum & melioribus imbutum, avocare à proposito ad fidem Magistri pertinere putavit. Itaq; quod Judas Theologus latro factus est, ejus est malitiæ, quæ planè inexplicabilis est. Triginta argenteos, lucellum tenue, tanti conatus stimulum fuisse, quis arbitrabitur? Est omnino ita; Homines exiguo sæpe motu maximum facinus audent, ut incomparabilis sit inter hoc ejusq; primordium imparitas, & mirandum sit, tam leviculam rem eousq; eos præcipitare potuisse. Sed exploratæ majestatis & originis altissimæ Dominum, à servo amabiliter habito, tantillo ære, latronibus venditum esse, & tam prostitutâ temeritate designatum, vix satis intelligi potest. Si

locum & tempus, quo comprehendi Dominus opportunissimè posset, indicasset Pontificibus, ipse interea in abdito latitasset, & eventum suorum conciliorum expectasset, vix pretium habuisset operæ. Quod verò ducem se præbet agminis, quod omnium conscio Domino suo exadverso audet occurrere, nec ejus horret adspectum, cujus novit potentiam, eò auri montes & quicquid divitiarum uspiam orbis habet, commovere non debuerunt, nisi etiam, ubi ne spes est argentei, ultrò pessimum. Novit ille, quantus esset, quem latronibus exponit, & quanta agitaret consilia. Nisi opinari velimus, eum ista omnia ex animo abjecisse, quæ tot annis inter quotidiana experimenta didicit. Itaq; & vim animo suo intulit, & conscientiæ compedes injecit, adeoq; in se

in se primum latrocinium exercuit sanguinarius homo. Certè contra Dominum nunquam ad latrocinium se obtulisset, nisi jam in seipsum crudelis fuisset. Sic animatus, aut potius exanimatus, compellare Pontifices non est veritus. Nunquam hi sperare potuissent, tantum consiliis suis adjutorem è tanta disciplina, in qua ea agitari sciebant, quæ omnia alia persvaderent, quàm ut aliquis Pontificibus conciliaretur amor. Itaq; collegium Apostolicum post Magistrum maximè timuerunt, utpote quod illo etiam submoto adhuc turbare res suas & Judæam concutere posset. Ex hoc tantus subito exoritur vindex vindictæ cupidis, & spem facit Magistri è medio tollendi, ut jam de integro collegio dissipando desperandum non esset. Ergo jam Judas Magistro renunciat,

ciat, cum Pontificibus eum vendit, cũ latronibus proſtituit. Non eſt ſane ut cogitemus, ea ſpe plenum fuiſſe Judam, ſe poſſe accepto pretio ſervire deſideriis hoſtium Magiſtri, nec tamen futurum, ut quicquam conſequeretur. Ea virtute pollere iſtum, ut è manibus quando voluerit elabi poſſet. Atqui ille ex ore Magiſtri paulo ante didicerat, imminere tempus, quo traditus hoſtibus mortem infamem ſubiturus eſſet. Aut igitur mentiri Magiſtrum credidit, aut non debuit commodare operam ſuam ſitientibus ſangvinem ejus latronibus. Si id credidit, jam Magiſtrum conculcavit. Dum hoc fecit, Magiſtro ſanè nuncium miſit. Sanè ſi de Magiſtri admirabili virtute, qua omnibus hoſtibus ſuperior eſſe poſſet, quicquam cogitavit, jam ea ipſum inceſſere debuit reveren-

verentia, ne quicquam auderet, cujus non esset ipse conscius. Tanta etiam cum Pontificibus consilia disponere, ut ipsis illudatur, in discipuli potestate non esse, facile intelligere potuit. Unde satis apparet, eum hactenus Dominum abnegasse. Nec aliud sperare potuit, quàm ut Collegium sanctissimæ disciplinæ dissolveretur. Imò ne initia illa restauratæ beatificæ veritatis in orbem proveherentur & in disciplinam Magistri quamplurimos redigerent, hocipso voluisse jure videri potest. Sic sanè interpretari horrendum proditionis sanguinariæ factum licet. Vendam Jesum Nazarenum etiam levissimo ære Pontificibus. Tædet me disciplinæ, in qua hactenus vixi. Faxo, ut antiquæ religioni suus honor restituatur, novellæ Magistro prodito. Hic inter initia lubrica

brica & exilia versamur, Novatores sumus, incertum est, quem eventum res nostræ sint habituræ. Impositum est mihi blandimentis, Credidi, quæ ante seculum & Nazarenum nemo docuit. Non potest seculo uno, altero, tertio, quarto, quinto abhinc ostendi cœtus aut Doctor, cui talia persvasa fuerunt, qualia in Nazareni Schola percepi. Nec spes est sub hac professione ditescendi. Redibo ad veterem Ecclesiam, tot seculis inclytam, successione Pontificum maximorum jam inde ab Aarone non interruptâ illustrem, multis myriadibus gaudentem. Ibi sanctitate vitæ clarent regenerati. Valeat Magister novus. Imo non valeat. Nam ut conciliem mihi synedrium, & Pontificibus fruar propitiis, prodam ipsum, nec in conspectum ipsius prodire verebor, ut sciat, quibus

quibus me addixerim partibus. Sic Theologus latro fit! At quantus inde JESU dolor! Tantò sanè gravior, quanto penitius in animum tam graviter perversum introspexit. Hominem in hominum salutem sævire, Judæum in Judæi gloriam grassari, discipulum adversus Magistrum latrocinatum ire, Theologiæ fontem obruere velle, imò negare & pessumdare, quanti doloris acerrimi stimuli? Quicquid è vinculis, ex alapis, sputis, delationibus, calumniis, judiciis, sannis doloris inflictum est, tantum non est, quantum hoc, quod Judas inflixit. Flagella, spinæ, clavi non ita perculerunt, sicut hoc flagellum de domo, hæc spina ex horto proprio, hic clavus, ex quo orbis reformandi bonum suspendere voluit. Animam vel unicam perire amarissimú est ei, qui sua dulcedine

omnes

omnes ab interitu vindicatas voluit. Animam alicujus ex gente suâ perire, amarissimum est ei, qui dulcedinis suæ salvificas primitias genti suæ consecravit. At discipuli, jam erepti erroribus, jam in lucem veritatis positi, jam imbuti salutis disciplina, animam tam immanibus conatibus fœdari, tam ab omni deficere honestate, tanta præcipitantia pessundari, supra omnem amaritudinem est illi, qui eam erroribus eripuit, in lucem posuit, salutisq; disciplina imbuit. Quid felleus iste potus Christo in cruce pendenti propositus & propinatus? Nectaris instar erat, si conferatur cum illa amaritudine, quam ex osculo Judæ JESUS gustavit. Cum ex clavorum foraminibus undiq; sangvis destillaret, cum incumberet tristissima DEI deserentis facies, cum mortem

ipsam

ipsam intueretur JESUS, Judæ desperati triste spectaculum atrociora fecit omnia. Huc enim tandem prolapsus est Theologus Latro, ut redirent in animum Magistri beneficia, laxarentur conscientiæ vincula, proditionis sangvinariæ horribilis series exhiberetur, eventus innotesceret immanis. Hic angoribus circumfusus, argenteos abjicit, scelus detestatur, & qui ad Magistrum properare debuisset, ab eoq; osculum contendere, quem osculo prodidit, ad interitum desperabundus festinat. Sive suspendio, quod omnis retrò antiquitas persvasum habuit, vitam sibi interciderit, sive, quod Novatoribus arridet, inter angores concitatis humoribus suffocatus sit, parum interest, nec hìc expendere lubet. Certè latro esse non desiit, sed ad ultimam lucis hujus usuram usq; per-

perseveravit. Dum & suam animam crudeliter perdidit, & Doctorum suum manibus hostilibus immanissimorum Latronum prodidit, & in ea mala sese lubens volensq; immersit, ex quibus horrores illi angoresq; postea suscitati fuerunt, qui sive ad suspendium desperantem adegerunt, sive in eum suffocationis torrentem effuderunt. Jacet Latro, qui steterit, dum Theologus fuit. Effudit ruptura insolita viscera sua, dum crepuit medius.

Atq; hîc quidem optandum esset, viscera damnata circumspectius profundiusq; sepulta fuisse. Hîc curandum fuisset, ut sepulchro ex crasso solidissimoq; lapide exciso committerentur, cujus aditus, quanta potuerat vi, obstrueretur & obsignaretur. Nam dum hoc neglectum est, ex istis visceribus maximum latronum agmen enatum

est,

est, quod & nos tanto à Juda intervallo dissitos exagitat. Hi mystico cum Christi corpus aggrediuntur & potestatibus inferis produnt. Osculantur & svaviſſima omnia pollicentur, sed latrocinantur. Persecutionum horrendarum autores & incendiarii, seductionum primipili, & variis excogitatis artibus id agentes, ut Christum prodant. Latrocinantur ex ruptura Judæ prò seminati monstrosarum hæreseon defensores, à quibus hostibus Dei Christus ejusq; mysteria non depinguntur, uti schola cœlestis patefecit, sed iis coloribus, qui excitant eos contra Christum, eumq; impotentem, insciùm, indefensum, expositum injuriis exhibent. Sed ista nunc examina Latronum, contra quos satis feliciter hactenus pugnatum est, mittamus. Notati sunt jam illi, proscripti sunt, in pro-

propatulo sunt. Deterius nocent ex schola JESU degeneres Novatores & schismatici, qui veterem Ecclesiæ militiam, victoriis inclytam & triumphis, produnt, dum latera ejus denudant, & ubi debilis sit, hostibus veritatis ostendunt, colluduntq; cum Pontificibus, ut Christus prodatur. Nonne magni latronis instar haberetur in exercitu, si quis in ipso fervore expeditionis, cum arma sunt arrepta, tormenta disposita, acies ordinata, corda militiæ ad felix prælium accensa, ad hostes se conferret, & quia apud se ita est persvasus, licet longe aliter cum militia comparatum esset, diceret illis, istud latus infirmum est, illud timidum? Ibi rudes sunt & imperiti, illic somnolenti & incauti. Habet exercitus Duces tantis consiliis, tantis conatibus impares. Paupertes aliqui

ab

ab infima ætate fuerunt, & neſcio qua in officina educati, ubi plus cum miſeria colluctari, quàm ad militiam indurari potuerunt. Neq; media habuerunt, quibus ad exercitia militaria formarentur. Nonnullos nóvus aliquis diſciplinæ militaris magiſter imbuit, ſub quo parum ad victoriæ gloriam perficitur. Quidam occupati ſunt opinionibus monſtroſis & victoriæ adverſis, militiamq; infringentibus. Alii, quod ex rubentibus genis pateat, meracius bibunt, & ne ſic quidem timendi ſunt. Deſunt arma firma & duratura. Tormenta habent; ſed lignea & facile diſſilitura. Reliquus apparatus vilis eſt & attritus. Profecto ſi vel ex errore talia apud hoſtes diſſereret aliquis, isq; nõ levis armaturæ transfuga, ſed annoſæ prudentiæ famâ conſpicuus anteſignanus aliquis, ingens ſuis detri-

men-

mentum, magnum adversus incrementum daret. Et non grande dirumq; latrocinium esse negabimus, cum adversus nostram militiam id audent, qui ejus se Duces salutari amant, qui omnium censuram dictaturamq; sibi sumunt, omnium applausum postulant? Non melior latrone ille esset, qui symbola militiæ corrumperet, præclara ejus monumenta & vincula convelleret, antiquam militiæ fidem contaminaret, plurima etiam ejus robora & firmamenta subverteret. Quo loco nos Novatores censebimus, qui in sanctam Concordiam militiæ nostræ quamplurimas exonerant calumnias, symbola per articulos præcipuos lancinant, limites piè constitutos divellunt, fidem cœlesti militiæ datam frangunt, &, ut paucis multa complectamur, in Christum ejusq; adversarios

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730409961/phys_0172
DFG

rios oſculum pariter diſpenſant. Interim tantum non latrocinantur ſocordes in talibus ſpectatores, qui cum vetare iſta latrocinia poſſent, negligunt, ut Chriſtus ita ſine obſtaculo Pontificibus prodatur. Sic multa ex Theologis latronum cohors oritur, poſtquam Judas ex Theologo Latro factus eſt. Atq; utinam non in omnes homines ex proditoris viſceribus illud latrocinandi Chriſtumq; prodendi deſiderium eſſet diſperſum! Quantus eorum inſuper numerus eſt, qui latrocinantur exemplis, quæ cum præſentiſſimâ animarum morte, in vulgus profunduntur. Nec ſcholis deſunt adverſus Chriſtum latrocinia, ut cætera, quibus nonnunquam etiam ſapientiæ theatrum cruentatur, taceamus, quæ ſtilo gulaq; perficiuntur, ut innocentiſſimus Salvator prodatur. Alios nunc reos latrocinii in Chriſtum prolixius non agimus, quia in ſcholâ occupamur. Certè JESUS noſter ideò horrenda ingratiſſimi Latronis conſilia adverſus ſe patientiſſimè

me admisit, ut pro humani generis infinitis latrociniis suam perderet vitâ, & contra insaniam nostram, quâ toties ipsum prodimus atq; latrocinamur, nobis præsto esset. Quod dum gratis admittimus pectoribus, merito preces & lacrymas fundimus.

JESU, orbis mitissime Doctor, è disciplina tua Theologum Latronem passe, agimus tibi gratias pro admiranda ista patientia & vulnere tolerato acerbissimo, ingenti nostro cum solatio percipiendo. In te Latronem admisisti, ne nos latronibus & proditoribus felicitatis nostræ exponeremur. Nostris peccatis adscribimus, quod Tu Latronem & proditorem passus es. Latrocinati sumus adversus Te, prodidimus Te, fatemur! Nisi nos Latrones & proditores fuissemus, qui omnes in paradiso Theologi creati fuimus, nunquam contra te Theologus Latro insurrexisset. Ignosce latrociniis & proditionibus nostris, propter vincula & vulnera Tua, in quæ Te

Theo-

Theologus Latro deduxit. Osculare nos osculo oris tui, quod fœdissimo Theologi Latronis osculo permisisti Siste latrocinantium & Te in membris tuis prodentium agmina. Persecutionibus & seductionibus obnitere. Excita ex veterno, quos vides ad latrocinium proditionemq; sanctæ CONCORDIÆ conticescere. Siste in nobis impetum veteris Latronis, qui in viscerib⁹ nobis hæret, &, dum blanditur atq; osculatur, prodit & occidit. *Fac*, ut, cum ex Theologo Latronem expertus es, ita ista incomparabili patientia tua perficiamur, ut ex Latronibus & proditoribus magis magisq; fiamus Crucis Lucisq; Theologi, Theologi, qui Te sciant, qui Te colant; hic, Theologi fidei; ibi, Theologi visionis; visionis ejus faciei, in quam tulisti à Juda Theologo latrone figi osculum, ut in perpetuum Te osculari possimus. JESU, orbis nutissime Doctor, è disciplina tua Theologum latronem passe, tibi gratias, tibi gloriam cum Patre & Spiritu Sancto, in secula nunquam finienda! Amen.

Notatiunculæ ad utramq; dissertationem

Ad Pag. 10. Theologus Apostata Petrus.

QUidam Veterem conantur Petrum excusare, *inquit D. Gerhardus Harm. Passionis cap. 6 p.m. 278.* quod negaverit non tam ex periculi timore, quàm ex Christi amore, ut in atrio Pontificis manere ac finem videre posset. Ac verba negationis sic explicant, quod alio sensu fuerunt à Petro dicta, quàm ab astantibus ministris accepta. Sic, quando dicit Petrus, *non novi hominem*, id hoc sensu ab ipso prolatum esse dicunt: *Non agnosco illum esse nudum hominem, cùm sit & Filius Dei in unitate personæ.* Quando negat, se esse Christi discipulum, id volunt hoc sensu esse dictum: *ausugi ab eo in horto.* Quando dicit, *nescio quid loquaris*, id exponunt hoc sensu. *Ignota mihi sunt vestra consilia.* Rupertus *in c. 26. Matth.* disputat, Petrum ore tantùm, non autem corde Chri-

Christum negasse, sicut Chusai solo ore negabat Davidem, 2 Sam. 16. v. 37. Hilar. can. 32. in Matth. Verè propè jam sine piaculo hominem negabat, quem Dei Filium primus agnoverat. Origenes quærit allegorias, ac dicit, per primam ancillam denotari Judæos; per secundam, gentiles; per ministros tertiæ negationi ansâ præbentes, hæreticos Christi perduelles. Beda: Mysticè per primam negationem designantur illi, qui ante passionem ipsius negaverunt eum esse; per secundam verò illi, qui post resurrectionem ejus in divinitatem & humanitatem offenderunt. Hieronymus: Prima ancilla est turbatio; secunda, consensio; tertius vir, actus: hæc est trina negatio &c. Remigius: Per primam ancillam significatur cupiditas, per secundam carnalis delectatio; per unum seu plures servos, Dæmones, qui suadent Christum negare. Sed allegoriæ non debent abducere à litera historiæ, ac Petrus lacrymis suis largissimè profusis hasce excusationes repudiat. Christus ipse ac Evangelistæ

listæ impulsu Spiritus sancti loquentes vocant negationem; fatendum igitur potius, Petrum peccasse, quàm Dominum fefellisse, & Evangelistas fuisse mentitos. Omnes circumstantiæ ostendunt, gravissimum fuisse Petri peccatum. *1. respectu operantis.* Petrus non erat vulgaris Christi discipulus, sed primarius ejus Apostolus, cui claves regni cœlorum datæ. *Matth. 16, 19.* dictum erat, *tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, v. 18.* qui cœleste gaudium in monte gustaverat, *Matth. 17. v. 4.* qui Christum cum vitæ discrimine hactenus secutus fuerat & in ipsius nomine complura miracula fecerat: dictus erat Petrus, h. e. saxeus & firmus, sed indigna agit suo cognomine. *2. respectu objecti.* Abnegat Christum Præceptorem ac Magistrum, quem Dei viventis Filium confessus erat, *Matth. 16. v. 16.* de quo dixerat *Joh. 6. v. 68.* Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. *v. 69.* & nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei viventis

tis huic Domino & Magistro suo Petrus maximum ab negatione suâ conciliavit dolorem. 3 *respectu astantium.* Pontifices procul dubio hac negatione Petri graviter fuerunt scandalizati; insultarunt propterea Christo, quod Judas defecerat, Petrus negaverat, ac reliqui discipuli aufugerant. Si Josephus & Nicodemus huic Concil. interfuerunt, itidem ex Petri negatione scandalum aliquod passi sunt. Servi Pontificum honeste hactenus de Christo senserunt, ob docendi excellentiam & miracula, *Joh. 7. v. 16.* jam v. cum vident Petrum tam strenuè negare, quid eximii de ipso sentire ulterius potuerunt? 4 *respectu modi.* Concurrit enim quasi ἀνθρωπὴ quædam variorum peccatorum in hoc lapsu Petri, utpote temeritas, quod ingreditur atrium Pontificis, ac periculo se exponit citra urgentem necessitatem ac sine peculiari vocatione: diffidentia, quod non credit salvo conductui, quem Christus ipsi impetraverat: pusillanimitas, quod ad vocem ancillæ statim negat. Non

armatus miles, non augustus Pontifex, non Princeps judicans, non tortor verendus, non mulier nobilis, sed vilis ancilla interrogat, nec dicit: Discipulus es seductoris illius, sed hominis; quod erat commiserentis mendacium, quod discedit à promisso ipsam mortem pro Christo subeundi; perjurium, quod Deum non veretur testem vocare in suo mendacio: execratio, quod seipsum diris devovet, si Christum nosset: obstinatio, quod non curat gallicinium, lapsus memoriale & pœnitentiæ monitorium. §. respectu iterationis. Non contentus est, semel atq; iterum negasse, sed tertia insuper vice negat, imò nisi Christus intuitu suo eum revocasset, ulterius negando fuisset progressus. Christus in prædictione hujus lapsus utitur verbo ἀπαρνεῖσθαι pernegare, quod significantius, est quàm simplex nomen ἀρνεῖσθαι negare, ut ostendat, Petrum hac suâ abnegatione penitus à se defeciſſe. Plutarchus in Pericle, φόνον ἀπαρνούμενοι cædem pernegantes. Nec contrà unum, sed

sed plura legis præcepta delinquit Petrus: contra primum abnegat Dominum suum; contra secundum perjurio nomen Dei prophanat; contra quartum exitio seipsum devovet; contra octavum mendacia pronunciat; ac cum Christus expresse dicat, *Matth. 10, 33.* qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo cœlesti, ex eo facile intelligitur, Petri peccatum non fuisse peccatum aliquod leve & veniale, sed omnio mortale ac damnabile, propter quod gratia Dei excidit, Spiritus sancti inhabitatione seipsum privavit, & periculo æternæ damnationis sese exposuit. Hinc & Maldonatus *Comm. h. l.* Fugienda est sententia, multos licet & bonos autores habeat, Petrum, cum Christum negavit, aut non peccasse, aut certe mentitum non fuisse, sed salva veritate ambigue locutum, ut Hilarius & Ambrosius scribunt. Nec enim, *inquiunt*, mentiebatur, qui eum hominem se nosse negabat, quem Deum cognoscebat. Quos, ut opinor, authores his verbis Hieronymus

nymus notat: Scio, quosdam pio affectu erga Apostolum Petrum locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negasse, sed hominem, & esse sensum; nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quàm frivolum sit, prudens lector intelligit, sic defendunt Apostolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit, ergo mentitus Dominus, qui dixerat, *Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.* Cerne, quid dicat, me negabis, non hominem. Quanquam possumus Hilarium & Ambrosium ab errore benigna interpretatione liberare, ut non negent & negavisse, & peccasse, & mentitum fuisse Petrum, sed tantum ita locutum dicant, ut ex verbis ejus aliquis verus sensus elici posset, quia dixerat, non novi hominem, quod interpretari possemus, non novi tanquam solum hominem, sed tanquam Deum. Simon de Cassia *de Gestis Salvatoris lib. XIII. cap. 62.* Petrus Christum à longè sequebatur, non tantum corpore, quantum mente, quam

quam titubatio fidei plene compresserat, & amor ad Christum à timore hominum patiebatur invisè conflictum, qui verbis Christum trina negatione vilefecit. Vile videtur, quod tanta procacitate negatur. Et sub anathemate posuit Dei filium, qui omnes venerat reconciliare cum Patre. Pervalidè angebatur virga timoris, qui se excommunicabat, si cognovisset & Christum: & juramento falso firmabat, quod non cognoverat veritatem. Dixerat enim interroganti Christo: & ego dico tibi, quia tu es Christus filius Dei vivi: quam cognitionem veritatis non ab homine aut ab angelo, sed ab æterno Patre susceperat, qui quempiam docendo non fallit. Ecce in quod malorum profundum potest homo descendere, ut pro parte vitæ labentis totam & æternam deneget ipse vitam. Non ergo satis prudenter Maldonatus *loco cit. Col.* 1. Cavendus est, *inquit*, vulgaris error eorum, qui putant fidem Petrum perdidisse; nec enim fidem perdidit, sed negavit, quod aliud esse Theo-

logi dicunt, quemadmodum & Prudentius ait in libro Cathemerinon :

Flevit negator deniq;
Ex ore prolapsum nefas,
Cum mens maneret innocens,
Animusq; servaret fidem.

Nisi dicas, fidem esse notitiam & credulitatem historicam de Jesu Nazareni persona & factis. Ita Conzenius Lojolita id explicat *in Comm. ad C. 26. Matth. v. 75. quæst. 2. p. 545.* cum ait: Non amisit Petrus fidem penitus, imò ne fidei quidem partem. Negavit scire, quid ancilla loqueretur, negavit se nosse hominem, pejeravit, nec tamen quod metus infirmo expressit, etiam animo sensit, contraria menti vox erat. Intelligebat, quid diceretur, Dominum, quem negavit repetito perjurio, noverat: non igitur fidem prodidit, nec inanis fuit Domini oratio *Luc. 22, 32.* Impetravit namq;, ne fides ejus deficeret. Caritatem tamen justitiamq; perdidit; fide enim informi, nec jam dilectionis fluxu vivente, justus esse non potuit,

rat, licet fidelis esse non desineret. Sebast. Benefeeldus, Anglus, *de persever. sanctorum c.16.p.122.* ait, 1. Petrum non amisisse fidem, 2. peccasse quidem eundem graviter, sed non ex toto animo. 3. Tametsi defecerit confessio in ore Petri, haud tamen defeciisse fidem in corde. Singula seorsim ex ordine probare dum conatur; de 1. ni ipsum concedatur, scilicet fidem non amisisse Petrum, secuturum arguratur, ut CHRISTUS *Lucæ 22. v. 31.* cum inquit: Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua: vel mentitus sit, vel inefficaciter sit precatus. Anathema verò illi, vel hoc, vel illud qui negat, Non ergo unquam defecit fides Petri. Resp. ad 1. Ut maximè utrumq; sit, verè illud dixerit, &, quod precatus est, impetravit Christus, non necesse est, ut unquam fides Petri defecerit; sed sufficit, finaliter non defeciisse. Oratio enim Christi fidei βεβαιον & finem respicit, quem Satanas, cribrare cum Petrum, tum cæteros Apostolos discupiens, intervertere cum his, tum illi cum primis, molieba-

liebatur, sic, ut vitæ ac salutis æternæ exsortes illos omnes, & imprimis hunc, faceret. Adversus hanc Satanæ molitionē satis erat, ut, qui lapsus erat, resurgeret, & de novo, in Christum concepta fiducia, ad finem usq; in ista perseveraret, nimirum impetratæ, per orationem Christi, divinæ gratiæ virtute conservatur. Benefeeldus urget verba Christi p. 117. quod non habeant istud, *finaliter*; tum vim verbi ἐκλείπειν, quo Lucas utitur, quod significat prorsus deficere, referaturq; non ad tempus, sed ad rem, quæ deficiat, quocunque id fiat tempore. Contrà ego; Christo deprecato est apud Patrē ἀπραξία Petri, quæ illi futura erat exitio. At talis illi futura erat non nisi finalis. Verissimum namque, quod ab Isidoro dictum allegat Bernhardus *lib. de modo bene vivendi cap. 20. qui est de perseverantia*: Non judicat Deus hominem de præterita vita, sed de suo fine. Unus quisq; n. in die mortis suæ justificabitur, aut condemnabitur. Ergo hanc, non aliam, Christus, pro Petro, Patrem deprecatus

catus est; in qua & vis verbi ἐκλείπειν maximè eminet. Non ergo inseritio & finaliter vel pugnat cum verbis Christi, vel ipsorum insignem, quod Benefeeldus fingit, depravationem continet, sed potius verum ipsorum sensum quàm exactissimè reddit. Ad 2. esse discrimen inter lapsum Petri & Judæ, & levius illum, quàm hunc peccasse; interim non sequitur, utut ex aliqua Petri infirmitate carnali lapsus ipsius fuerit profectus, isto tamen non obstante, fidem, hoc est, salvificam in Christum fiduciam ipsum retinere & in gratia Dei, antequam conversus resipisceret, manere potuisse. Quin dico, ex materia & objecto, tum aliis circumstantiis; ut quod præmonitioni Domini non attendit, sibiq; & viribus suis fuit confisus, cujusmodi, ore ipsius Domini, renunciatur maledictus *Jer.17,5.* sic istum lapsum Petri fuisse aggravatum, ut eum fidei gratiæq; Dei exortem non potuerit non facere. Hoc 1. de gratia Dei sic probo. Quod fecit Petrum incurrere iram Dei, & quidem

ita, ut, si contigisset, ipsum, antequam de peccato suo seriam egisset pœnitentiam, ex hac vita emigrare, aut etiam ipso peccati sui momento concidisset mortuus, ipsum gehennæ mortisq; æternæ filium fecisset, hoc non sivit eum manere in gratia DEI. Sunt namq; ira & gratia DEI oppositæ, & hoc ipso, quod quis iræ filius est, non est filius gratiæ. At illud de lapsu Petri fuit verum: scilicet, quod fecerit illum filium iræ Dei, adeoq; mortem animæ ipsius induxerit: quod rectè censuit Augustinus, in *tractatu 66. in Johannem*, de hoc ipso Petri lapsu, cum scribit: *Qui te jam mori posse putas pro me, prius vive pro te. Nam timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ: quanta enim vita est, confiteri Christum, tanta mors est, negare Christum.* Tum perversum favorem pronunciant, quod quidã lapsum Petri sic extenuant, ut mortem animæ ipsum sibi non induxisse, putent. Ergo verum & hoc, scilicet, non sivisse istum lapsum Petri ipsum in gratia Dei, quæ vera est vita ani-

animæ, manere. 2. Cui Petrus post lapsum suum fuit per conversionem restituendus, ab eo, per prolapsum illum suum, verè totaliterq; exciderat. At Gratia Dei erat, cui Petrus à lapsu suo, per conversionem, seriamve & salutarem pœnitentiam, fuit restituendus. Ab ista ergo lapsu illo suo verè totaliterq; exciderat. 3. Quod fecit Petrum Christo indignum, hoc ipsum fecit gratia Dei excidere & fidem amittere. Ratio est: Quia Deus neminem dignatur gratia sua, nisi quem istâ dignum invenit in Christo per fidem, & hæc sola est, quæ facit nos Christo dignos. At lapsus Petri abnegantis Christum, etiam non obstante, quod ex aliqua carnis infirmitate, amore scilicet vitæ præpostero, profectus fuit, fecit illum Christo indignum, per illud Salvatoris: *Qui non odit Patrem & matrem, ipsamq; adeo vitam suam, non est me dignus.* Ergo lapsus ille abnegationis Christi fecit Petrum à gratia Dei & quidem totaliter excidere, fidemq; amittere. 4. Quo perpetrato, Petrus pro-

promeruit abnegari à Christo coram Patre suo cœlesti, istud illum in gratia Dei manere non permisit. At illud abnegatione Christi Petrus promeruit, de omnibus sui abnegatoribus ῥητῶς hoc asseverante Christo: *Matth.10.* Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ipsum ego coram Patre meo cœlesti. Et memorabile est, quod Christus non modo non eximit ab ista universalitate sui abnegatorum, ex carnis infirmitate, amore scilicet vitæ suæ, se si coram hominibus abnegant? Sed, tum hîc, tum alibi, vel contra istos, hanc νουθεσίαν suam dirigit. Non est me dignus, inquiens alibi, qui, præ me, non odit vitam suam. *Luc. 14.* Qui volet animam suam servare, perdet eam. Tum hîc, loco scilicet ex Matth. allegato, isti ipsi sunt, qui, vitæ propriæ amore, se coram hominibus abnegaturi erant, quos coram Patre suo cœlesti se abnegaturum, minatur Salvator. Ut quidem hoc contextus & scopus orationis ipsius satis manifestè prodit. Ergo quod Petrus CHRISTUM abne-

abnegavit, nihil quicquam obstante, quod hoc ex aliqua carnis infirmitate, vitæ scilicet propriæ amore, fecit, non permisit illum in gratia Dei manere. Sed &, eodem suo lapsu, fidei, hoc est, salvificæ, in Christum & gratiam Dei in Christo fiduciæ exsortem factum Petrum, sic probo: 1. Quod cum salvifica fide ἀδιαιρέτως, tanquam effectum suæ causæ, cohæret & devinctum est, illo non modo cessante, sed & ipsi contrario succedente in ipsius locum actu, fidem quoque ipsam necesse est exspirare. Ratio est causæ & effectus proprii necessaria cohæsio, sive connexio. Sic quia fides salvifica est ἐνεργουμένη δι' ἀγάπης. *Gal. 5. v. 6.* hæc evanescente, illa quoque evanescit, dicente D. Jacobo: *Ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis, & ego meam tibi, ex operibus meis. cap. 2. 18.* De confessione Christi ratio ad fidem salvificam eadem. At Petrus non modo tunc, cum Christus vinctus traheretur, eum confessus non est, sed &, qui actus confessioni est contrarius, eum abnegavit, imò

imo abjuravit. Ergò, ut fides salvifica tunc in ipso exspirârit, est necesse. 2. Quod fidei, hoc est, fiduciali apprehensioni Christi ἐναντίως adversatur, cum isto fides stare nequit. At tale quid est abnegatio Christi, & quidem omnis. Ut enim taceam, abnegationem Christi ejusdem confessioni, cujus cum fine necessaria est cohæsio, adversari: quæ potest abnegati Christi fiducialis esse apprehensio? Certè Christus nuspiam in verbo suo mandat, se abneganti in se fiduciam collocare, nisi prius lapsum istum suæ abnegationis gravissimum agnoscat, eundem cum Petro serio deplorer, sicq; ad gratiam, à qua exciderat, anxiè anheler. Cum ergò fiducialis illa Christi apprehensio, hoc est, fides salvifica verbo & promissioni DEI innitatur; quæ, inquam, potest abnegati Christi, in abnegante, quatenus & quandiu existit talis, fiducialis illius ipsius esse apprehensio. Nulla utiq;. Ergo abnegatio Christi cum fide salvifica nequit stare, & quidem, ut in nullis aliis, sic nec in Petro.

Guil.

Guil. Witakerus *de Pontif. Rom. q. 6. cap. 2.* contra Theophylactum, utut ejus sententiam Bellarminus elegantem dicat, cum iste, Petrum recondita quædam semina & radicem fidei viventem in se retinuisse, asserit, etsi Satanas folia quædam discussérit: *Non satis eleganter, inquit, ab illo dictum est.* Nam 1. vera fides non magis separari potest à confessione oris, quàm ignis ab ardore aut sol à splendore radiisq; suis. Certè vera fides non est, quæ professionem non parit. Sic Psalmista: *Credidi & propterea locutus sum*: quod testimonium etiam apud Paulum habetur. Sic alibi idem Paulus: *Corde creditur ad justitiam; ore fit confessio ad salutem.* Nam fides habet suam παῤῥησίαν apud Deum & homines: si succumbat & vincatur terrore, vera fides non est: quantum ergo de confessione, tantum de vera fide deperditur. 2. Si ergo Petrus non nisi tacuisset & simulasset in illo discrimine, certè in eo declarasset, magnam inconstantiam & infirmitatem fidei, & non modò non laudandus;

dus, sed ne tolerandus quidem fuisset. At Petrus etiam negavit, quod majus, quàm non confiteri. Negavit ore, non modo non confessus est ore. Negare vero plus est, quàm si folia decidunt: Nam est proferre amaros fructus perfidiæ & apostasiæ, hæc Vitakerus.

Pag. 44. *linea* 20. *inenarrabilem gratiam.* Ita Cyrillus Hierosolymitanus. Augustinus Tom. 10. de verbis Dom. in Evang. secundum Matth. serm. 9. p. 3. Quanta ista gratia? Christus in cœlo, Christus in terra, nec duo Christi, sed idem Christus & in cœlo & in terra. Christus apud Patrem, Christus in utero virginis. Christus in cruce, Christus apud inferos subveniens quibusdam. Eo autem ipso die Christus in paradiso cum latrone confitente. Et ibi latro quid meruit, nisi quia illam vitam tenuit, ubi ostendit salutare suum? A qua tibi pes non exeat. In eo enim, quod sæculavit, Deum laudavit, & vitam suam beatam fecit. Præsumpsit quidem è Domino, & ait illi, Domine me-

mento

mento mei, dum veneris in regnum tuum, Amen, inquit, dico tibi: hodie mecum eris in Paradiso. Misericordia obtulit, quod miseria distulit. Idem Tomo eodē de tempore serm. 120. col. 861. Christus, inquit, ut redimeret impios, sicut ait sermo divinus, ut redimeret iniquos, inter iniquos reputatus est, inter duos, quos dextera levaq; ilægimus pependisse latrones. Seipsum cōfusioni & opprobrio crucis tradidit, ut latronē glorificaret. Sed si bene respicimus, nō illi soli hoc præstitū esse deprehendimus. Nā dum tantū reū benignē relaxat, dum tanto debitori refundit immanis debiti cautionem, humano generi conscripsit securitatem, ut consolatio ac spes fieret totius populi, absolutio unius desperati, & privatum donum in publicum crescceret beneficium. Quare indubitanter credē dū est ut quod latroni illi ad commēdationem fidei suæ venerat, etiam causa spei nostræ, & utilitātis accesserit. Immensa enim Dei nostri bonitas libenter tribuit, quæ etiā generaliter profutura præscit. Et ideo

juxta

juxta fiduciam tantæ clementiæ, si quis nostrum crimina sua probabili conversatione damnaverit, & Christum toto corde crediderit, etiam cum latrone in semetipso ingressum paradisi aperuisse se noverit. Quantum autem sit in spe salutis humanæ magnitudo fidei, & altitudo divitiarum misericordiæ Dei & patientiæ magnitudo, ostenditur, cum hominem in sceleribus involutum pœna misit ad innocentiam, & offensa perduxit ad gloriam. Quem saluti culpa perdiderat, perditio invenit, cruciatus absolvit, damnatio consecravit; Et non sine causa tantum meruit. Videamus, pro tempore fidelis apparuit. Ecce inter signa atq; virtutes attestantibus miraculis & acclamantibus, aliquotiens in discipulis mens jam robusta titubavit; & nunc Christi sublicijs quodammodo contradicentibus in latrone fides novella convaluit. Sub ipso passionis tempore ab ancilla interrogatus unus ex discipulis B. Petrus, peculiarius Christo cognitus, ita respondit: Non novi homi-

hominem istum. Et iste, qui ante non noverat, exclamat; Memẽto, mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. Quam singularis & quam stupenda devotio. Sub illo tempore credidit reus, quo negavit electus. Laudabilius hoc itaq; in latrone ac magnificentius fuit, quod hominem addictum & inter extrema deficientem supplicia Deum credidit, quam si inter virtutum opera credidisset. Non itaq; sine causa tantum meruit. Advertamus plenius, quo tempore Dominum confitetur. Fervebat impietas persequentium, exultabat impietas blasphemantium, contritio, livores & vulnera solum Christum hominem demonstrabant. Sacrarum manuum in ligno crucis extensio & reverenda confixio, quæ condemnabat Adæ & Evæ manus, ad interdictum ligni cibum ingemiscenda seculi transgressione porrectas: Hæc, inquam, confixio per omnia infirmitatem hominis asserebat. Illisæ per latus lanceæ tremenda percussio quantum ostendebat hominem, tantum absconG debat

debat Deum. Apostolis post divina miracula desperantibus, solus hic non acquiescit scandalo crucis & mortis. Solus hic testis est majestatis, qui socius probatur doloris. Et ideò adhuc in latrocinis positus, invisibilem Deum angelicis jam oculis videt. Illuminarat credo nascentem fidem, lateri jam credentis in Christum propius corpore admota divinitas, quæ se largius sub momento illo pro peragenda redemtione infuderat. Videamus autem, qualis fuerit ipsa deprecatio confitentis, *Memento*, inquit, *mi domine, cum veneris in regnum tuum.* Non dixit: Si Deus es, de præsenti supplicio eripe me; sed magis, quia verè Deus es, de futuro judicio libera me. Quàm citò eum replevit Spiritus sancti eruditio, per quam futuri examinis diem cogitans, etsi intolerabile probat esse, quod sentit, gravius tamen intelligit esse, quod metuit. Prædicat seculis judicem Regemq; seculorum, nondum vocatus & jam electus, nondum famulus & jam amicus, nondum discipulus & jam Magister

gister, atque ex Latrone confessor: quia etsi pœna cœperit in latrone, novo genere consummatur in martyre: *Memento*, inquit, *mei Domine*. De ligno crucis clamat, sed jam tempora retributionis cogitat. Videamus, quid inter ista respondeat dives & larga Dei bonitas, quæ sicut ex cedit vota, ita gratiam adjungit & merita. *Hodie*, inquit, tanquam si diceret? Quid me, *inquit*, ô fidelissime comes & unice tanti testis triumphi, quid me tanto opere exorandum putas, ut die judicii mei meminerim tui? Quid me ad præsentem retributionem paratum, in tempora tam longa dissimulas? Quid in futura sæcula fidem in te perfectam fatigas? *Hodie mecum eris in paradiso*. Ergo tanquam hæreditaria & paterna sedes, quæ expulso Adam, quæ expulsis duobus clausa est, innumeris populis te introeunte reserabitur. Ingredere illuc prius, sed ingressu feliciore quam primus. Intra paradisum, nequaquam ultra cum Adam visurus infernum. Nullum illic cibum letalem, nullam jam legem, nullam

arborem pertimescas. Ego tibi illic ero victus & vita: ne fortè verearis, ne tibi aliquis hostis in illo beato nemore, ne antiquus ille latro insidietur, possessio tibi illic me introducente firmabitur. Idem *Serm. 130. col. 883.* Honor, *inquit*, est paradisi, talem habere dominum, qui & latronem dignum facere possit deliciis & possessione Paradisi. Talis est enim Domini regnum cœlorum, ut & meretrices & publicanos ita probabiles reddat, ut digni appareant gratia & gloria, quæ illic est. Quemadmodum enim medicum tunc maximè admiramur, cum viderimꝰ, eum difficiles hominũ valetudines curantẽ, mortisq; pericula medendi arte vincentem: Ita & Christum admirari justum est, quando insanabilia vulnera in corporibꝰ & mentibꝰ curat, quando publicanum & meretricem ad tantam sanitatem perducit, ut etiam cœlo dignos ostendat. Et quid tali dignum quiete egerat latro, ut post crucem, quam meruerat, repente paradiso dignus judicaretur? Vis breviter dicam

cam virtutem filii ejus? Quando Petrus negavit deorsum, tunc ille confessus est sursum. Et hæc non ut accusans beatissimum Petrum locutus sum, quod absit, sed latronis magnanimitatem ostendere volens. Nam ille discipulus minas abjectæ puellæ non sustinuit; latro verò multitudinem totius populi videns circumstantem & clamantem, insanas blasphemias & opprobria atq; maledicta jaculantem, non attendit illis, non cogitavit visibilem abjectionem ejus, qui crucifigebatur: sed oculis fidei hæc cuncta transcurrens, & ut abjecta & levia veritatis impedimenta præteriens & relinquens, cognovit dominum cœli, & ait dicens; *memento mei Domine in regno tuo.* Ne ergo brevi commemoratione dimittamus latronem illum; neq; confundamur doctorem accipere, quem Dominus noster non erubuit primum in paradisum introducere. Ne, inquam, erubescamo magistrum habere hominem, qui ante omnem generis humani naturam meruit dignus haberi regno cœlorum?

lorum: sed singula intentius disquiramus, ut virtutem crucis agnoscamus. Non dixit ad eum Dominus, quemadmodum ad Petrum: *Veni post me, faciam te Piscatorem hominum.* Nec dixit ad eum, quemadmodum ad duodecim discipulos: *Quoniam sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israël.* Sed nec qualecunq; verbum dignatus ei dicere, nullum miraculum ostendit, non mortuum resuscitatum, non dæmonem expulsum, non mare obediens, non denique; aliquid aut de regno cœlorum ei locutus, aut de gehenna comminatus est; & prior omnium latro confessus est eum, & hoc alio exprobrante fecit. Improperat ei & ille alius latro. Audisti latronem & latronem, ambos in crace, ambos ex conversatione latronum, ambos ex eadem malignitate venientes, sed jam non ambo in eisdem mentibus & meritis sunt constituti. Nam alius quidem regnum adipiscebatur, alius vero in gehennam mittebatur. Ita & pridie in discipulis simile discrimen fuit. Nam & Judas quidem discipulus fuit, ut illi

illi undecim, sed illi quidem dicebant domino; *ubivis paremus tibi Pascha manducare*; iste vero se ad tradendum dominum præparabat & dicebat, *quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* & illi quidem ad ministerium divinum se præparabant, hic autem ad tradendum festinabat. Ita & in hoc loco latro & latro, sed unus quidem improperabat, alius adorabat: alius blasphemabat, alius laudabat, & blasphemantem corcorrigebat: dicēs, *Nec times Dominum tuum?* Vidisti fiduciam latronis, vidisti liberam voluntatem in cruce. Audisti philosophiam in tribulatione, & reverentiam divini timoris in supplicio. Quoniam quidem in semetipso erat & clavis confixus, non saucium intellectum, neq; confixum sensum habebat. Quis non admiretur & compungatur? Non solum enim quod in ipso erat, sed & ea, quæ circa se ipsum erant, relinquens, de altero curam gerebat in cruce, doctor effectus, & corripiens & dicens: *Nec times Dominum tuum?* Noli, inquit, attendere judicio huic, quod deorsum est,

alius judex invisibilis est. Ne ergo consideres, quia deorsum à judice mortali condemnatus est, non enim talia sunt superum judicia. Hic autem in terreno judicio & justi condemnantur, & injusti effugiunt, & rei demittuntur, & innocentes puniuntur. Volentes namq; & nolentes multum errant, qui judicant. Ignorantes enim justitiam seducuntur, vel certè scientes per avaritiam corrumpuntur, ut sanguinem innocentem vendant. In supernis vero nihil talè. Judex enim justus est, & judicium ejus tanquam lumen prodiit, non habens tenebras, neq; ignorantiam. Ut ergo non diceret, quoniam damnatus deorsum in terris, & adjudicatus est pœnæ, perduxit eum ad judicium supernum, commemoravit tribunal illud horribile, tantum non dicens sibi? Respice te; & non porcabis sententiam damnationis æternæ, nec stabis in sorte judicum corruptorum, respiciens ad salutem futurorum in supernis judicum. Vidisti philosophiam latronis, vidisti intellectum & do-

& doctrinam? subito, in ictu oculi, de cruce in cœlum transilivit. Ita jam ex abundantia acceptæ justitiæ proximum illum vel socium quondam suum arguens, ut diceret ei: Non times, inquit, quoniam in ipso judicio sumus, id est, eadem condemnatione? Nonne, inquit, & tu in ipsa cruce es? Quamobrem, in quo socium increpas pœnæ, teipsum pro illo reum statues; Quemadmodum enim is, qui in peccatis est, si alios audeat accusare, seipsum ante illos accusat: ita & is, qui in ærumna positus est, si aliis eam sui oblitus exprobret, sibi ante illos dicet opprobrium: quoniam, inquit, in ipso judicio sumus. Quid agis, ô latro? Satisfacere incipiens socium tibi Dominum fecisti? Non, inquit, emendabo hanc de me opinionem in subsequentibus. Nam ne existimes, quod propter damnationis consortium, criminis quoque consortem fecerit Dominum, subtexit emendationem, dicens: *Et nos quidem juste; digna enim patimur his quæ commisimus.* Vidisti confessionem perfectam, vidisti,

quomodo in cruce se exuit à peccatis. Dic, inquit, tu iniquitates tuas prior, ut justificeris, Nemo compulit, nemo vim fecit, sed ipse se divulgavit, ipse condemnavit, dicens: *Et nos quidem juste digna factis recipimus, hic autem nihil mali gessit: Memento mei Domine in regno tuo.* Non est ausus ante dicere, memento mei Deus, quam per confessionē iniquitatis præteritæ sarcinam peccatorum deponeret. *Vides*, quanta res sit confessio. Confessus est, & paradisum aperuit: confessus est, & tantæ fiduciæ robur accepit, ut de latrocinio regnum deposceret, considerans, quantorum bonorum causa sit crux. Dicito mihi latro regnum petens, quid in eo tale vides, ex quo petis? Dic mihi! nam quod in conspicuo est, clavos & crucem cernis. Sed hæc, inquit, crux, ipsa regni insigne est, & propter eam Jesum Regem appello, quia video crucifixum. Opus enim regis est, vitam suam pro his, quibus regnat, apponere. IDEM *Serm. 144. col. 917.* Recolamus, *inquit*, fidem latronis, quam

quam non invenit Christus post resurrectionem in discipulis suis. Pendebat in cruce Christus, pendebat & latro. In medio ille, illi à lateribus. Insultat unus, credit alter, judicat melius ille. Is enim, qui insultabat, hoc dixit, *Si Filius Dei es, libera te.* Et alius ad illum, *Tu non times Deum?* Si nos propter facta nostra merito patimur, ipse, quid fecit? Et conversus ad eum, Memento, inquit, mei Domine, dum veneris in regnũ tuum. Magna fides, huic fidei quid addi possit, ignoro. Titubaverunt, qui viderunt Christum mortuos suscitantem, credidit ille, quem videbat secũ in ligno pendentem. Quando illi titubaverunt, tunc ille credidit. Qualem fructum Christus de arido percepit? Quid enim Dominus dixerat? *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Tu differs te, ego agnosco te. Quando hoc speraret latro, adductus de latrocinio ad judicem, à judice ad crucem, de cruce ad paradisum? Deinde ipse, attendens merita sua, non dixit, *Memento mei*, ut liberes

res me hodie, sed, *cum veneris in regnum tuum*, tunc memor mei esto. Si mihi tormenta debentur, vel quousque veneris in regnum tuum. Et ille: non sic, invasisti regnum cœlorum, vim fecisti, credidisti, rapuisti, *hodie mecum eris in paradiso*. Non te differo. Tantæ fidei reddo, quod debeo. Latro dicit, *Memento mei Domine, cum veneris in regnum tuum*. Non solum credebat resurrecturum, sed etiam regnaturum. Pendenti crucifixo, cruento ligno horrenti, *cum veneris*, inquit, *in regnum tuum*: & illi, nos speravamus.

Ad pag. 59.

Carol. Scribanius in *Meditat. ad virtutem excitantib. die sec. p.* 287. ita de Latrone converso meditatur: Intuere Christum inter duos latrones suspensum, quasi aut latronum princeps, aut quovis esset latrone sceleftior. *Disce teipsum dispicere*, & patienter tui despicientiam tolerare: disce mundi judicia floccipendere, cum te tua conscientia innocentem asserit, nunquam indignius despi-

dispiciere, aut graviores contumelias, quam quæ Christi sunt illatæ, sustinebis, & tamen nunquam tua innocentia cum Christi integritate conferri poterit. Unde quantumcunque falsa iniquaq; de te sit mundi exstimatio & judicium, nunquam tamen tam indigna mundi de te judicia fieri intelliges, quin sine comparatione longè indigniora idem de Christo judicaret. Hæc omnia Christus voluntaria suâ patientiâ pro tuis sceleribus tolerat. Tu quid pro illius gloriâ non libenti animo tolerabis? Audi alterius Latronis in Christum contumelias & maledicta, quibus Deum ipsum tanquam fictitium Messiam, populique seductorem perstringit, à quo documentum nobis accipiendum, homines nefarios etiam extremam vitæ periodum plerumq; conformiter ætati flagitiosè actæ novis sceleribus concludere, ac raro admodum imminente morte se ad Deum convertere. Cave ne in extremam vitæ horam cum Deo in gratiam redire differas, cum tibi ab ipso & tempus

& præ-

& præsidia ad hoc necessaria fortassis negabantur. Nec nimium ingenio tuo præfide. Tua enim cum Deo reconciliatio non à te solo, sed à Deo potissimum pendet. Ipse est, qui hominē ad peccatorum detestationem incitat; qui, si incitamenta sua aut neget, aut subtrahat, exigua sanè salutis spes relinquitur. Considera Christi innocentiam alterius latronis confessione defendi, qui se in acerbissimis doloribus ad Deum convertit, quem rebus ad voluntatem succedentibus nunquam agnoverat. Quod nobis exemplo esse potest, raro scelerātos homines secundis rebus, ad Dei cognitionem scelerumq́; correctionem, adduci; ideoq́; adversa magis quam prospera nobis exoptanda esse. Hæc enim plerumq́; secum trahunt æternæ salutis incuriam, neglectum, oblivionem, ac deniq́; virtutum omnium fastidium. Alterum nobis in hujus latronis confessione documentum est, quod audiente populo universo crimen suum profiteri non erubescat. Discamus nullo pudore

à salu-

à salubri scelerum nostrorum confessione deterreri, malimusq; erubescentiam brevi tempore duraturam sustinere, ut æternam aliquando ignominiam effugiamus. Tertium è latronis confessione documentum est, quod palam Christum innocentem esse eundemq; verum Deum profiteatur, ne unquam nos pudeat veritatem, ac præcipuè religionem, etiam toto audiente mundo, profiteri: docetq; dum faciendum hoc erit, nec inimicorum præsentiam, nec eorum minas, nec ipsam deniq; mortem extimescendam esse. Quartum documentum est mira ejus in fide constantia, quâ illustratus Christum Deum esse agnoscit, quem Judæi tanquam maleficum in crucem sustulerunt, cui scribarum ac Pharisæorum turba tanquâ impostori insultabat, quemq; ab omnibus derelictum ac destitutum videbat. Ne pigeat latronis hujus virtutem imitari, qui ad eandem, quam ipse promeritus est, gloriam adspiras. Quintum documentum, singularis in Deum fiducia: quâ subnixus

latro

latro post tot latrocinia & cædes, non desperabundus animum abjicit, sed palam morte se dignum professus, ad Deum, magna de illius clementia spe conceptâ, cum seria admissorum scelerum detestatione, confugit. Quo docemur, nunquam animum abjiciendum esse, aut desperandum, ne extremo quidem vitæ articulo. Hoc tamen diligenter observato, unicum tantum in sacris literis ejus exemplum extare, qui post vitam facinorosam ad Deum conversus, cum bono exitu concluserit; ne nimiâ confidentiâ ad ultimum usq; vitæ emendationem nostram differamus; quod maximæ est dementiæ immo indicium plerũq; evidens, hujusmodi homines æternum à beatitudine excludendos. Quis enim spondere poterit, eam nos à Deo supremâ vitæ horâ gratiam cum latrone consecuturos, quâ tot hominum millia post vitam scelerate actam in morte destitui videmus, atque ita congruentem prioribus moribus vitæ terminum sortiri? ut hanc à nobis calamitatem

tatem propulsemus, nihil securius, nihil tutius, quam maturè probam vitam ordiri, quæ non nisi magno nostro bono quocunque tempore à morte præscindi queat: probam enim vitam felix obitus, & hunc æternæ beatitudinis initium solet excipere. Quæ, si desideras, modo, dum potes, serio virtutis studium amplectere: quod, qui negligunt, næ illi admodum inconsideratè ac stultè rebus suis prospiciunt. Magna enim dementia est, in iis rebus languide remisseq; se gerere, & ludere quodammodo, è quibus æternitas, animæq; [illegible] pendet. Contra verò sapienter & providè res suas agunt, qui in iis maximè circumspectè cauteq; procedunt, in quibus, cum semel erratum fuerit, deinceps nullus emendationi locus, nec spatium relinquitur. Quapropter cum animâ simul perditâ, omnia nobis pereant; diligenter immutabilem hunc animæ lapsum præcaveamus, & frequenter irrevocabile æternitatis momentum præmeditemur. Perpende supplicem latronis

tronis orationem, qui postquam publicè crimina sua fassus esset, magnâ fiduciâ clamat, *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Non audet rogare, ut se gloriæ suæ participem faciant. Discamus hinc in nostris ad Deum precibus, humilitatis meminisse, nec importunius à Deo poscere, ut à nobis, quæcunq; affligunt, amoverat; sed tantum, ut nostri memor sit, supplicemus. Cujus enim Deus memor est, illi male esse nullo modo potest: scelera tua agnosce, eaque cum latrone ex animo dolenti confitere; Deumq; ut tui misereatur, roga. Hoc diebus singulis sub noctem ante somnum facitabis, ne te repentina mors dormientem improviso opprimat, antequam peccata salubri dolore apud Deum possis expiare. Perpende item Christi verba, *Hodie mecum eris in paradiso.* Observa hic primum sanguinis Christi effectum; latroni salutem adfert, portasq; cœlorum ad id tempus clausas aperit. Meditare, quid eos maneat, qui omnem vitam aut majorem

rem ejus partem divino obsequio consecrant; cum latronis tantilla Christi professio & veneratio, tam amplo præmio compensetur. Vide, quem promtus & facilis sit Deus, ut hominem, ubi se verâ criminum professione & execratione ad meliorem viram receperit, in gaatiam admittat. Examina hîc mores tuos, & vide, dum tam sis facilis ad ignoscendum iis, qui te offendere. Observa præterea, Deum non solùm supplici ignoscere, sed etiam regnum polliceri, nec diu promissa differre; sed eâdem luce largiri: ut discas non solum æquo animo noxam iis, qui in te peccarunt, remittere; verum etiam benevolè in amicitiam tecum recipere, idq; continuo, non secus, quam si nunquâ ab iis in te quicquam admissum fuisset. Quantum ab hac virtutis perfectione absumus! eâdem tamen mensurâ, qua mensi fuerimus, Deus remetietur nobis: nostranamq; in proximũ indusgentiæ divinæ in nos indulgentiæ mensura est.

Idem

Ibidem *in orat. Secund part. 6. p. 340.* Ubi moraris anima mea? nunquam est, dum vivis, ut ad Deum recurras, serum nimis. Confuge ad expansa hæc in cruce brachia, quæ se usq; ad cœlorum altissima terrarum qua profundissima extendunt. Sinec in manuum nec in pedum vulneribus locum tibi invenias, en latus patet, recipe te in hanc charitatis officinam. Quid metuis? quamdiu divinum hoc cor illæsum clausumque fuit, cœli obserati clausiq; manserè; at cum lanceæ cuspis cor hoc aperuit, continuò quoq; cœli tibi fuere aperti. Cordis hujus apertio cœlum reseravit, cœlorum claves hujus cordis thecâ includebantur. Vulnus hoc thesaurum hunc nobis aperuit, serasq; cœlorum comminuit. Sequere tantum, ô anima mea, felicem illum latronem, vitæ tuæ scelera magnâ animi tristitiâ ac mœrore profitere, convertere ad Deum tuum, ad salutarem hanc plagam, ad latus hoc latus; ut tu quoq; audias jucundissimũ illud verbum: *Hodie mecum eris in paradiso.*

O bo-

O bonitas, quæ omne excedit bonitatem! O misericordia infinita! nulla te lingua eloqui, nulla mens capere unquam poterit. Deus in suppliciis, iisq; omniũ acerbissimis destitutę homini paradisi delicias spondet: è summo dolorum suorum, hominem ad cœli voluptates invitat: Deus pro peccatis nostris omni cruciatuum diritate obruitur, nos per hos cruciatus omnibus suppliciis, quæ justissimè sceleribus nostris debebantur, erepti, ad sempiterna gaudia invitamur. O amorem super omnem amorem! quando te tandem fruar? quando animum meum tuis deliciis explebo? quando sitim tuo nectare restinguam? Domine, in te solo spes mea omnis ac fiducia, in hac cruce tanquam in solidissima petra collocata est, tuis vulneribus subnixa in cordis tui medio, quo nec cœlo nec terrâ fundus solidior, inædificata. Hic reperio animam meam mundantes aquas; hic carnem, hic sanguinem animæ meæ cibum potionemq;. Largire mihi hæc Domine salutis meæ præsidia, ut tecum

cum sermone ad Deum patrem directo dicere audeam: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, cum divinam ejus voluntatem gratiâ tuâ adjutus explevero, Beatum illum, qui tecum & per te dicere potest, voluntatem tuam Domine executus sum; miserere peccatrici animæ meæ. In manus tuas commenda spiritum meum, ubi securior illi portus, ubi tutius perfugium, quam in tua protectione? in tuo præsidio? Beatus ille, cui in hoc præsidio commorari concessum fuerit. Nulla ei adversitas obesse, nulli hostes nocere, nulli dæmonum impetus terrere, nulla æternitas contristare, nullæ accusationes perturbare, nulla calamitas, nulla miseria, ac ne mors quidem ipsa formidinem potest incutere. Amen.

Ad pag. 86.

Pulchrè Augustinus *de tempore serm.* 122. *p.* 86. Audiat, *inquit*, vocem Domini mei humani generis adversarius, & nihil jam sibi applaudat elatus, quia pro totius mundi facinore in cruce pependit Dominus

nus noster Jesus Christus. Nunc, inquit, judicium est mundi, nunc princeps hujus mũdi mittetur foràs. Et ego cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. O quàm bene te tuo impetu diabole percussisti! Crudelitas tua tibi exitium, nobis attulit commodum. Dum nulli parcis, teipsum tandem interimis. Per unius delictum omnes captivasti, per unius justitiam omnes nihilominus amisisti. Sed illum qui tibi consenserat, invasisti, istum, in quo nihil inveneras, cur indebitè occidisti? Effudisti innoxium sanguinem, redde damnatam progeniem. Tu certè ille es, qui tibi divinitatis similitudinem arrogabas elatus, nunc ab homine divino prosterneris superatus. Et quid mirum, si te, utpote creaturam suam, virtus divina fecisset? Sed hoc est magnum atque mirificum, ut de pulvere assumeret, unde tuã nequitiam prosterneret atque contereret, ut qui supra sidera superbus erigebaris, nunc à carne superaris. Ille igitur sanguis, quem effudisti, te vicit,

me

me redemit. Deniq; illum bibo, & venenti tui perniciem salvatus ultra non timeo. Prævaluisti in paradiso, sed victus es de patibulo. Quod mihi circumjectam paradiso igneam rompheam opponis? Ecce exaltati crucifixi profluens unda restinxit versatilem flammam. Jam jam patet humano generi paradisus, in quo latronem confitentem reduxit Dominus Jesus Christus. O quam grande mysterium. Paradisus, qui clausus fuerat prævaricatori, jam reseratur latroni. An forte & in hoc latrone totum hominem, vel illum etiam primum generis humani parentem advertere convenit? Si enim is, qui aliis interficiendo intulerat mortem, latronis accepit nomen; quanto magis, qui ipsam mortem, quæ non erat, peccando invenit, latronis non immeritò crimen incurrit; Christus autem latroni, Hodie, inquit, mecum eris in paradiso. Cui aliquando, chariſſimi, tarda videatur esse conversio, cum latronis jam pendentis, jam morientis non fuerit repudiata confessio?

O am-

O Ampla Domini miseratio, obliviscentis injusti crimen, suscipientis pœnitentis fidem, pro scelere damnatum facientis electum, mortis debitorem reddentis æternitatis vitæ participem! Sed plane hujus latronis extrema quidem, sed non minima fides, qui Dominum tunc non suscitantem mortuos, sed morientem pro peccatoribus propemodum agnoscere & confiteri promeruit. Solus deniq; Petrus passionis timore perterritus, quasi hominem denegat, latro crucifixum adorat. Sed Petrum Dominus correxit respiciendo, latronem vero beatificavit in gloria assumendo. O latronem laudabilem, mirabilem, imitabilem, sævientem gladio, violentum cœlo, rapinis inhiantem, fide ferventem. Sed hæc mutatio dexteræ excelsi est, ut versam vicem redderet diabolo Christus: videlicet, ut, quemadmodum diabolus primum depravando hominem abstulerat de paradiso, sic Christus latronem confitentem erueret de inferno, Ille præsumentem de interdicto

ligno decepit, iste pendentem de pœnali ligno redemit.

Ad p. 108. lin. 18.

Ita Dan. Heinsius *in Exercit. ad Matth. 27. cap. 21.* Quid Evangelista, cum ἀπήγξατο hic duxit? haud dubio תלה expressit. Typum porro proditoris Achitophel fuisse, etiam antiqui notarunt, de quo *2 Sam. 17, 23.* καὶ ἐνετείλατο τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, καὶ ἀπήγξατο καὶ ἀπέθανε, dicitur. Ubi in contextu ipso יחנק, Thargumista אתחנק. De quo quidam e Magistris notant, morbum ex magno animi mœrore ac dolore ortum fuisse; quod consilium non successisset, aut approbasset. Itaq; τῷ machanac interiisse. Quàm autem longe hoc à suffocatione absit, quæ fit laqueo, iidem docent, cum non raro evenire notant, ut homo magnus à parva stranguletur musca. Quo sensu *Jobi 7. 15.* Et *elegit* machanac *anima mea.* Sequitur autem, *desperavi, nequaquam ultra jam vivam*, ut vulgo interpres. Ubi Aquila, καὶ εἵλετο ἀγχόνην ἡ ψυχή μου. Unde

& To-

& Tobiæ 3. 10. ταῦτα ἀκέσασθαι, ἐλυπήθη σφόδρα, ὥστε ἀπάγξασθαι, ובקש לחנוק עצמו, ut præ angore, quasi obturato gutture ac obstructo, de morte cogitaret. Ita enim angi eum, cui evenit hoc, opprimiq; volunt, ut eadem hora extinguatur, qui Latinis vulgo *rumpi*, Græcis διαῤῥήγνυσθαι dicuntur. Notum illud, *invidia rumpantur ut ilia Codro*. Unde apud Aristophanem, διαῤῥαγείης, pro quo Plautus, *abi, & suspende te*, qui & λαιμᾶν μέσον Græcis, Latinis *crepare* dicuntur. Ut & πεπνῖξεις γενέσθαι: quia suffocatione & suppressione vocis πνίγονται, seu *strangulantur*, quod ἀπάγχεσθαι & ἄγχεσθαι tum dicitur. Idem quippe ἄγχεσθαι & πνίγεσθαι plerumque. Quemadmodum Chrysostomus *ad 18. Matthæi*, ἄγχειν τὸν δῆλον, quod πνίγειν Evangelista dixit. Eo morbo Judam, quem ἀπάγξασθαι Matthæus hic dicit, *extinctum*, exceptione omni major. *Act. 1. v. 18.* Lucas tradit: πρηνὴς γενόμενος, ἐλάκησε μέσος,

καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. Ubi recentior interpres, & præcipitatus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera ejus. Quo loco, tum quid πρηνὴς γενέσθαι sit, tum cur effuse ejus viscera dicantur, videmus. Quod in tali suffocatione & ruptura solet fieri. ἀγχόνην enim, sive ἀπαγχόνην, viscerum consequitur effusio. Qui nescierunt interim, quomodo Matthæi Lucæq; conciliari posset locus, cum in altero τὸ ἀπάγχεσθαι de *suspendio* acciperent, in altero τὸ πρηνὴς γενόμενον, *præceps factus est*, exponerent, proditorem lepidè finxerunt, cum se suspendisset, rupto laqueo supervixisse; præcipitatum deinde, cum intumuisset vehementer, à prætereunte curru elisum, expirasse. Epiphanius, prius viscera effudisse, ac deinde ἀγχόνη χρησάμενον, adhibito suspendio interisse, arbitratur. Quibus nihil opus erat. Cum ἀπάγξασθαι, eodem modo eodemq; verbo, quo Achitophel ab Hellenistis proditor dicatur.

Glossa-

Glossarium vetus, Ἄγχομαι, *angor*. Nec de strangulatione, quæ fit laqueo, Dioscoridem egisse sentio, cum de fungis dixit, ὅτι πνιγμὸς ἐπιφέρουσιν ἐοικότας ἀγχόναις, è quo loco patet quoq; πνιγμὸν καὶ ἀγχόνην idem esse. Et *Exercit. in Act. cap. 1. p. 263.* inquit: Sequitur, καὶ πεινῆς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. Atqui ἀπήγξατο de eo dixerat Matthæus, quod nos, quia tale nihil cogitasse hic Evangelista videtur, ad *machanac* referebamus: quo malo, ut ibi dicebamus, qui è mœrore animi, angustia, aut desperatione corripitur, obstructo spiritus meatu, dissilit & moritur; quam & ἀγχόνην non male dicas. Qui proprie angor animi vel corporis, plerumq; fauces, sive summas gulæ gutturisq; partes, cum anxietate maxima præcludit: quemadmodum ipsum מחנק Magistri dixerunt: de qua medici. In quos summum patriæ nostrumque decus, omni commendatione

major, Johannes Beverovicius, in Idea Medicinæ. Iis autem τὸ λακεῖν proprium videtur. Unde æmuli plerumq; *invidia crepare* & ῥήγνυσθαι dicuntur. Ipsum malum desperationis autori ac carnifici Diabolo, etiã Græci asscribunt. Origenes Philocalia, καὶ πνεῦμα πονηρὸν παρὰ Θεοῦ ἔπνιγε τῆς Σαούλ, Spiritus à Deo malus suffocabat Saulem, sive, strangulabat. Hellenistæ, καὶ ἔπεσε πνεῦμα πονηρὸν ἐπὶ Σαούλ, quemadmodum & Saræ in Historia Tobiæ objicitur, ὅτι ἔπνιγε τοὺς ἄνδρας αὐτοῦ quod λακεῖν Evangelistæ, etiam ψοφεῖν, Græci, ut *crepare* Latini, dixerunt. Macarius *Homilia 26.* quanquam de re alia, ὥσπερ δὲ ὁ κεραμεὺς βάλλει τὰ σκεύη καὶ μέτρῳ ὑποκαίει τὴν κάμινον, οὐ πλέον, ἵνα μὴ ὀπτηθέντα ὑπὸ τὸ δέον, ψοφήσῃ, inquit, *eos qui fictilia igne indurant, modicum, non nimium, in camino accendere ignem, ne, si æquo nimius sit, crepent dissiliantq.* Hesychius, ψοφεῖ, κτυπεῖ, ῥήσ-

ρήσσει. Idem, λακεῖν, ψοφῆσαι exponit. Effundi autem iis viscera, qui crepant, nihil mirum, cum rupturæ tali hoc conveniat. Quæ unde in suspensis? Ut omittam, quod significatione funis, dolor omnis ac anxietas Hebræis denotatur. Exemplo sit חבל: quod ὀδύνην, & ἀπωλείαν, ita χοινίαν interpretantur Helleniſtæ. Notum illud, *funes mortis*, aut *sepulchri*, *circumdederunt me*, 2. Sam. 22, 6. Ubi συνεῖμοί θανάτου, angustiæ mortis, Helleniſtæ dixerunt. Recte ἀγχόνην θανάτου dicas. Exitium enim denotatur. Unde & vulgo Hebræorum Magistri, quoties vel mala imprecantur, vel detestantur alium, חבל, *chabal*, utuntur: id autem אללי, sive, væ, interpretatur Elias. Ut cum Thargumistæ חבל עלי, væ mihi. Quod *chabal*, de proditore suo, de quo sermo nunc est, usurpavit Dominus, cum dixit: *Et filius quidem hominis, prout definitum est, abit. Veruntamen væ homini illi, per quem proditur.* Quod Syrus

rus הוי, væ, ibi aliisq; locis, dixit. Quemadmodum tum Græcis Latinisq; etiam particulis non raro utebantur Syri. Forte & vicissim suum ἀβάλε ex eo fecerunt Græci. Nihil enim usitatius, quam ut aspiratio rejiciatur, quomodo à חקל. Ἀκελδαμὰ, nec pauca ejus generis. Extat autem, cum alibi, tum in Græcorum Epigrammatum Anthologia, Ἀβάλε χαμερὲς με διέκλυσε χείματα πόντε Δειλαίην. De navi, hominibus amissis, servata. Hesychius inter alia, ἀχρεῖον, *inutile*, aut, *infaustum*, alii Φεῦ interpretatur. Ut sic mutuam inter sese linguæ navent operam. de Græca autem voce hac, mirum quæ linguarum harum imperiti. Adde, quod hanc desperationem, quæ Diabolo adscribitur, ἀγχόνην esse, ac dici posse, etiam hoc docet, quod eadem voce מוקים, & laquei & Diaboli dicuntur. Ut cum eleganter Hebræorum Magistri, qui hominem nocere homini significant, בני אדם שחם מוקים, *homines sibi mutuo*,

mutuo, Diabolos, sive, laqueos, & ἀγχόνας, esse dicunt. Non sine causa autem eruditi, quomodo, τὸ πεπνὺς ἐξένοσε, quod præcipitatus recentior exposuit interpres, cæteraque, quæ adduntur, quod crepuerit, quod effusa ejus sint viscera, cum suspendio conveniant, sollicite, nec sine causa quærunt. Non enim πεπνὺς, qui præcipitatur, quod volunt, sed qui pronus & in terram cadit. Hesychius, πεπνέα, ἐπὶ πρόσωπον. Item πεπνιχθέντα, ἐπὶ πρόσωπον καὶ ἐπὶ στόμα πεσόντα. Ut cum bos cæditur, atque impos sui pronus cadit, qui πρηνὴς cadere Apollonio dicitur. Ἢ εἰπὲ δ' ἀμφοτέρωσε πρηνὴς κεραίεσι. Quo spectat, quod interpres Syrus, non *in faciem*, hic modo, sed עַל־אַרְצָא, *in terram* cecidisse, ait quomodo an cadat, qui suspenditur, per me licet, alii ut judicent. Quin autem ita cadat, dubium non est, qui λαχήσας moritur: quem ἀγχόνη, aut huic simile mœroris atque desperationis malum subito affligit

Exprimere autem, si quis velit, quomodo affecti sint plerumq; illi, quos divinitus immissa illa calamitas, quæ machanac Hebræis dicitur, invasit, de Apostolo cogitet, qui impiis hoc tribuit, cum pios θλίβεσθαι μὲν, ἀ στενοχωρεῖσθαι δὲ, ἀπορεῖσθαι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορεῖσθαι, 2. Cor. 4, 8. dixit. Quam στενοχωρίαν voce חנק erudite expressit Syrus, quia scilicet τῷ חנק ut Græcorum ἄγχεσθαι, anxietatem summam denotari certum est. Exemplo sint Hebræi Sapientes, quo cum suos monent, ut ab odio hominum sibi quantum potest caveant, causam addũt: כי פעמים שיחנק וגדול בזביב קטן, *sæpe magnum hominem à parva strangulari musca.* Syrus interim quo dixi loco, ἀ στενοχωρέμενοι, לא מתחקינן, *non strangulamur*, dixit, quemadmodum τὸ מצור στενοχωρίαν Deuteron. 28, 25. Hellenistæ reddiderunt, quasi *obsidionem* dicas. Vera autem cordis obsidio ac pressura est *machanac*, chanc Arabibus, qua suffocatio-

nem

nem, etiam matricis, Avicenna denotat. Græci ἀγχόνην dicunt. Ut Æschines, cum dixit, ταῦτα δὲ ἦν ἀγχόνη καὶ λύπη τότω; *hæc strangulatio & mœror illi erat.* Aristophanes, ut Matthæus ἀπάγχεσθαι, τὸ ἄγχεσθαι dixit. Qui Nebulis, ἀπαγξαίμην τρέχων, quod ἀγξαίμην rectè interpreteris. Neque id magis mirum, quam quod Maro, cum desperatus pastor apud Theocritum. dixit, ἀπάγξαθαί με ποιήσεις, *mori me deniq; cogis*, reddidit: ex cursu enim nimio summa spiritus angustia ac coarctatio, ut licet aliud sit proprie ἀγχόνη, ad illud tamen malum, quo ex animi angustia ac peccatorũ mole ejusmodi viscerũ λάκησις, operante Diabolo, consequitur, referri rectè possit. Cum Hebræi interpretes ad verbum redderent, neque cum Matthæo Lucam conferrent, quod Matthæus, καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο וירתל בפח, *suspendit se laqueo*, Syrus autem voce eadem, qua τὸ σχοινοχωρεῖσθαι Apostoli exposuit,

posuit, qui חנק נבשה, *strangulavit*, aut *suffocavit se ipse*, dixit: quod æque ἀγχόμενον, σπαγχόμενον, aut στενοχωρούμενον *obiisse* notat, ut qui rupturam atq; effusionem viscerum spectare alio quam ad suspendium, existimaret. Cujusmodi malo correptum subito in loco immundo expirasse Arrium; *Epistola ad Serapionem* notat Athanasius. Πολλά τε φλυαρῶν εἰσῆλθεν εἰς θώκους, ὡς διὰ χρείαν τῆς γαστρὸς, καὶ ἐξαίφνης, κατὰ τὸ γεγραμμένον, πρηνὴς γενόμενος, ἐλάκησε μέσος. *In nugis suis totus, ad sedes ut necessitate ventris, se contulit, atq; extemplo pronq; cecidit, ac medius crepuit.* An igitur suspensus fuit Arrius, ideoque ei viscera effusa sunt? Quæ duo ut conjungeret, vehementer in Apostolica historia Arator fluctuat, cum dixit,

qui criminis autor
Errorisq; tui est, fusa ruit Arrius alvo.
Infelix, plus mente cadens, lethumq; peremptus

Cum

Cum Juda cõmune tulit: qui gutture pendens
Viscеribus vacuatus obit: nec pœna sequestrat
Quos par culpa ligat.

Quasi suspensum fuisse ex historia constet, aut ideo mortem cum Juda communem habuerit, quod Judæ, qui *crepuisse* dicitur, viscera effusa sint, aut deniq; , ex eo, quod crepuisse ac effusa ejus viscera dicuntur, suspendio interiisse constet. Quid sit autem πρηνὴ γενέσθαι καὶ λακῆσαι, de eo, qui misere ac funditus interit, siquis dubitare adhuc potest, ex Hellenistis discat, qui tales, πρηνεῖς ῥήγνυσθαι, *rumpi* ac *in exitium præcipitari* dicunt: ita ut interdum ne vocem quidem edant. Elegantissimus hanc in rem ac planè geminus huic extat locus Sapientiæ Salomonis *cap. 4 v. 19.* quem de proditore, & ad interpretationem hujus, scriptum dicas: καὶ ἔσονται μετὰ πᾶτα εἰς πνεῦμα ἄτιμον, καὶ εἰς ὕβριν ἐν νεκροῖς δι' αἰῶνος, ὅτι ῥήξει αὐτὸς, ἀφώνους, πρηνεῖς, ubi nihil tamen de suspendio. Quid autem

tem magis proditore tali dignum, quam ut tali morbo tolleretur, cujus causa desperatio, autor Diabolus, generis humani hostis? qui quid quantumq; in iis possit, quos à Deo destitutos invasit, vel ἐνεργεμένων historiæ testantur. HUGO GROTIUS *in Matth. 27. v. 6.* inquit: Est quidem Græcis ἀπάγξασθαι *suspendio sibi vitam adimere*, ut ἀπάγξασθέ με πτήσεις apud Theocritum. Sed difficulter id conciliatur cum Petri narratione *Act. 1.* ubi aliud mortis genus Judæ tribuitur, effusis scilicet intestinis, cum pronus in faciem corruisset. Notum satis est, quæ sint excogitata, ut ista inter se conciliarentur. Neque satis se expediunt, qui laqueo fracto corruisse Judam volunt. Videtur enim Petrus omnino casui inopinato, quem divina providentia dixerit, non Judæ ipsius facto, exitii causam adscribere. Videamus igitur, an hoc loco Matthæus non agat de morte Judæ, ut quæ serius contigerit, & forte post resurrectionem, ut multorum

fert

Wir/derer Nahmen hernach verzeichnet stehen/wollen für dem Angesicht Gottes und der gantzen Christenheit/bey den jetzlebenden und die nach uns kommen werden/mit Hertzen/Hand und Mund bezeuget haben/daß diese jetzgethane Erklärung von allen vorgesetzten und declarirten streitigen Articulen/in dem Buch/des Titul ist: Allgemeine/richtige/lautere und endliche Erholung/oder Formula Confessionis, &c. und keine andere/unser Lehr/Glaub und Bekentnuß sey/in welcher wir auch durch die Gnade Gottes mit unerschrockenen Hertzen/vor dem Richterstuel Jesu Christi erscheinen/und deßhalben Rechenschafft geben wollen/darwieder auch nichts heimlich und offentlich reden/schreiben/predigen/lehren oder vertheidigen wollen/sondern vermittelst der Gnade Gottes dabey bestendig bleiben. Dessen zu mehrem Bezeugnuß und Bekentnus haben wir wol bedächtig in Gottesfurcht und Anruffung dieser Formulæ Pacis inter Theolo-

gos

gos & Ecclesias Augustanæ Confessionis: desgleichen den Extract, so darauß gezogen/ in thesi & antithesi uns mit eigenen Händen unterschrieben.

Ego Tilemannus Heshusius Theologiæ Doctor, corde, ore & manu subscribo, ac Deum toto pectore oro, ut extinctis omnibus corruptelis, salutaris Concordiæ opus suo sancto Spiritu promoveat & stabiliat.

Ego M. Daniel Hoffman Professor Academiæ Juliæ, corde, ore & manu subscribo.

Ego M. Basilius Sattler, Pastor Helmstadiensis & Professor Sacrarum Literarum in scholâ Juliâ, corde, ore & manu subscribo.

Falso dicitur 7. doctrinam de omnipræsentia Christi juxta h. n. esse novam & destitui consensu antiquitatis Ecclesiasticæ. Contrarium ante F. C. ostendit D. Johannes Marbachius, D. Lutheri discipulus, magnus orthodoxæ doctrinæ, inprimis contra crypto Zvvinglianos, Argentorati Ecclesiam & Academiam turbantes, defensor; conventus Ecclesiastici Præses &c. Im

Christ-

Christlichen Unterricht von der Majestät und Herrlichkeit Christi auch nach seiner m. n. A. 1567. Quando ante invalescentes Jesuitas à quibusdam Pontificiis ea asserta sit, ostendi in AntiCornæo meo vindic. dedic. Intervent. q. 1. p. 3. & seqq. Detect. malæ fidei Papalis circa fund. probantia myst. Trinit. Class. V. sect. 2. §. 2. 3.

Ad p. 114. lin. 18.

Symbola lancinant per articulos) sc. Novatores, quorum antecessor in der wiederlegung Sss. fac. a. novationis, turbationis & damnationis eorum, qui novationibus assentiri non possunt, nos accusat. Quomodo Formulam concordiæ æstimet Julianus, quam vehementer delectetur fabula illa, quasi in ignem eam conjecisset Fridericus II. Rex Daniæ, quam amplissimè sibi gratuletur, quod in iis terris natus sit, in quibus formula illa recepta non est, quod in eam Acad. venerit, in qua ad eam docentes non astringuntur, ex superioribus notum est. Quomodo Corpus

Juli-

Julium, in quod juravit, & huic congruum Corpus Doctrinæ Prutenicum pro libidine sua convellat, repudiet, interpretetur, alii demonstrarunt. Conf. D. Calovium *in proleg. Instit. Theolog. ap.* 417. & seqq. quomodo, ubi potest, Augustanam Confessi. traducat, ex scriptis ejus innotescit. In digressione *de arte nova p.* 427. *& seqq.* Res, inquit, *nostrorum eò tandem deductæ sunt, ut augustæ in Comitiis Imp. vigore edicti Cæsarei, Confessionem fidei suæ exhibere eos oportuerit. Et sane ex usu erat, Ecclesias reformationem amplexas ex communi consensu, quid de religionis & fidei capitibus statuerent, per solennem ejusmodi professionem declarare & patefacere, ne privatæ opiniones, & quod unus aut alter per incogitantiam vel contentionis fervorem effudissent, sive etiam quæ sub prætextu reformationis perperam à nonnullis acta essent, ipsis imputarentur. Potuissent autem se* BREVIBUS *expedisse, si* (Julianam sapientiam secuti) *dixissent, Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesi-*

nos

nos articulos, Chalcedonensem ἔκθεσιν & quicquid unanimi consensu vetus universa Ecclesia professa esset. Quasi v. ita se coram Senatu Imperii satis exculpare potuissent! quasi vero ista per universæ veteris Ecclesiæ consensum digressio non LONGIOR futura fuisset ipsa etiam Confessione! Quasi vero non ad Catholicæ Ecclesiæ consensum sæpius provocaverit. Sed pergit Julianus. Cæterum majorem obsequii, quàm compendii sui rationem habuerunt. Juxta Cæsaream propositionem, quemadmodum ipsi loquuntur, ut Cæsareæ Majestatis voluntati obsequerentur, exhibuerunt Confessionem suis ipsorum verbis latine & germanicè conceptam, & quidem adeò solicitè, ut in multos articulos distinguerent, nec opiniones, quæ superiorum seculorum curiositate in scholis agitari cæperunt, prorsus præterirent. Sed acerbius in der widerlegung Lit. Dd fac. b. Recentiores in libris suarum Confessionum, quos SYMBOLICOS appellare amant, etiam differunt, disputant, argumenta proferunt, dicta & testimonia addu-

adducunt, objectiones refellunt. Quo latius se diffundunt, eò facilius in ejusmodi tractatibus inveniri poterit, quod probabilitatem non excedat, & evidens ac irrefragabilis ἀπόδειξις haberi nequeat, aut ἁμαρτήματι μνημονικῷ sit obnoxium. Sic Augustana Confessio art. 6. verba ex cōmentario in caput I. prioris ad Corinthios Ambrosianis operibus inferi solito profert: Hoc constitutum est à DEO, ut, qui credit in Christum, salvus sit sine opere, SOLA FIDE, gratis accipiens remissionem peccatorum; & Ambrosio tribuit, cum tamen hoc inter eruditos constet, commentariū illum non esse Ambrosii. Extat inter libros, quales diximus, tractatus, quò dicitur Spiritus S. in specie columbæ descendisse super Apostolos. Quantum itaq; sit discrimen inter priscas, breves & concisas confessiones, ab universa fidelium Ecclesia, unanimi omnium seculorum consensu stabilitas, & inter recentiores, ad instar prolixarum declarationum ac disputationum confectas, & non nisi ab aliqua particulari Ecclesia receptas, hinc poterit intelligi. Ut autem evi-

evidens ἀμάρτημα vel παράδρομα, ubi animadversum fuerit, pro tali non habeatur, nullus Christianus aut stipulatur aut promittit. Ità Julianus carpit Augustanam Confessionem 1. tanquam nimis prolixam. *Prisca,* inquit, *symbola, & confessiones doctrinam necessariam breviter proponere & verbis utipaucis, sed rem accuratè exprimentibus, soliti sunt. Recentiores autem &c.* 2. tanquam suppositicia pro genuinis allegantem: quia Ambrosio tribuit Commentaria in epp. Pauli, quæ ejus non sunt. Quamvis autem hodie eruditis perspectum sit, Commentaria illa non esse Ambrosii; & ipsi etiam Pontificii aliqui ita judicarint. Unde & Fr. Lucas Brugensis ordinarie autorem illorum *Ambrosiastrum* appellat *ad Gal.* 3. 1. 1. *Tim.* 2, 6. 2. *Tim.* 2, 25. *Tit.* 1. *&* putat *Hilarium Diaconum existimari autorem Commentariorum Ambrosium mentientium* Rom. 2. 15. & Maldonatus *ad Matth.* 19. 9. Remigium Lugdunensem eorum autorem esse dicit: & Lovanienses *censur. in August.* atq; Possevinus *in apparatu* credendum esse ajunt, ejus *Commentarii eundem esse autorem*

torem, qui est libb. Quæst. V. & N.T. & Alf. Salmeron agnoscit Comm. in Epp. Pauli disp. 19. p. 63. ea non esse Ambrosio adscribenda, ejus non proprium fœtum, sed spuriam & nothum illiq; falso adscriptum. Et Card. Baronius Tom. 5. ad ann. 397 num. 38. fatetur, expositioni Ambrosii jam Cassiodori tempore deperditæ alterius autoris opus fuisse suppositū: Deniq; Card. Bellarm. multoties indicat, hæc Commentaria non esse Ambrosii, de Euch. l. 2. c. 14. de Cleric. lib 1. c. 15. de Christo 1 c. 6 de Grat. & L. A. l. 2. c. 14. sed nec alicujus ex celebratis Patribus, de Matrim. lib. 2. cap. 17. Olim tamen & cum A. C. exararetur, res illa perspecta non erat. Nec ideo allegatio Comment. illorum A. Confessioni quicquam notæ immitioris imprimere potest, quia nec ipsi Pontificii post detectam jam suppositionē erubuerunt commentaria illa sub nomine S. aut B. Ambrosii allegare. Card. Bellarm. citat. Comment. in Rom. 10. & ad Eph. 4. pro descensu Christi ad inferos. Comment in 2. Cor. 12. & Gal. 1. pro primatu Petri. Comm. in 1. Tim. 1. pro continentia Cle-

Clericorum. *Comm. in 1 Tim* 3. pro omnipotentia Papæ. *Comm. in* 2. *Thess.* 2. ut probet, nondum venisse Antichristum; *Lib.* 4. *de Chr. c.* 14. *l.* 1. *de Pont. Rom. cap.* 25. *lib.* 1 *de Cleric c.* 19. *lib.* 2. *de Rom. Pont c.* 5. *& l* 3 *c.* 5. ut antiquiores & recentiores taceam. Unde nisi insigni quadam latrocinandi in A. C. libidine inflammatus fuisset Julianus grandiloquus & supremus omnium Censor, nequaquam fuisset operæ pretium hæc arrosisse. Scilicet si Hollatia tantum lumen citius orbi dedisset, tanto rectius Augustæ omnia curaturus fuisset, quanto Thorunii nuper omnia optimè, cum Bergii latus texerat pulcherrimus latero. Sed eamus per Aug. Confessionis Capita & partes paulò specialius.

I. Præfatio A. C. haud obscurè confitetur, Papismum cum fundamento salutis stare non posse. Hinc tam severe *pro una, sincera & vera religione colenda* laborat, ut præf. §. 1. habetur. Julianus Papismum (aliud est in & sub Papatu aliquos ex magna Dei misericordia hoc habere, quod voluntariè se Papismo subiicientes sibi polliceri neque

nequeunt.) retinere fundamentum salutis & eo non obstante salute quem posse potiri dictitat, imô obligatos omnes esse putat, ut Papistas pro veris Ecclesiæ membris æstiment. *Cal. in Epicr. ad Colloq. Thorun. num. 9. 18. 19. &c.*

II. Aug. Confessio nequaquam ad salutis fundamentum sufficere censet, si Symbolum Apostolicum quis profiteatur. Hinc, cum notum hoc habuerint Confessores, symbolum in Papatu ad hæc retineri, urgent tamen adhuc *simplicem veritatem & Christianam concordiam*, §. 1. Censet autem hoc Julianus App. der wiederlegung A. 1. & seqq.

III. Aug. Confessio Ecclesiam suam puram & ab omni fermento doctrinæ liberatam existimat. Hinc ait, *doctrinam suam suam scripturis & verbo Dei consentaneã esse.* §. Cumigitur. Julianus censet, non minoribus Papismo ac Calvinismo maculis impuratam esse, & paucis in diœcesibus emaculatam, in lit. ad Rantz.

IV. Aug. Confessio unicum principium suorum dogmatum agnoscit S. Scripturam & purum verbum Dei in præfat. §. *cum igitur.* Licet pro uberiori & ulteriori testimonio propagatæ & continuatæ per secula ejus doctrinæ quoque antiquitatis allegata prætendat, Julianus *epit. theol. mor. part. 1 p. 125. 139. &c.* duo principia statuit nō conclusionis tantum, (sic enim plura esse possunt.) sed veritatis & rei. Confer Apol. pro Judic. Theolog. Coll. Argent. *in causa Latermanni c. 1.* Et quia ob leviculas ratiunculas, quas ex profundiori meditatione locorum script. depromit, eadem ad mysterium Trinitatis & apparitiones Filii Dei in V. factas Testamento probandas inepta judicat, planè conjicere fas erit, Julianum etiam ratiunculis à Socinianis contradicta S. lit. N. T. commotum iri, ne ex illis fidem Trinitatis & cætera mysteria solide & irrefragabiliter concludi posse credat, nisi alterum principium, antiquitatis sc. consensus, eum absterreret.

§. Ar-

V. Articulo I. Augusſt. Confeſſionis procul dubio Judæi & Mahomediſtæ pro idololatris, h. e. non colentibus unum, ſummum, verum Deum, ut ſe revelavit, ſed Deum alienum, habentur. Agendæ Megapol. p. 8. wann gleich Juden / Türcken und andere Secten rühmen / ſie rieffen GOTT an / der Himmel und Erden erſchaffen hat / ſo ſeyn doch ihre Gedancken eitel Lügen und Abgötterei / denn Sie ſprechen nicht den warhafftigen GOTT an / ſondern tichten etwann / das nicht GOTT iſt / denn ſie wollen GOTT nicht haben / der da iſt der Vater Jeſu Chriſti &c. Julianus deſid. & ſtudio Conc. Eccleſiaſt. th. 2. Judæi, inquit, & Muhamedani ab idololatria alieni ſunt. Illi Codd. V. T. iſti etiam Novi libros admittunt.

VI. Articulus idem A. C. procul dubio Confeſſionem Filii & Spiritus S. in una cum Deo Patre eſſentia non Novi tantum Teſtamenti, *in quæſtione an ſit?* cenſet eſſe, ſed, licet maxima claritatis diſtinctione,

etiam fidelibus V. T. necessariam fuisse judicavit, si justificationis & illuminationis fundamentum debuerunt cognoscere. Id satis ex ejus anni & anterioribus posterioribusq; Confessorum scriptis liquidum dari potest & res ipsa loquitur. Julianus id negat credendum esse, & putat potuisse etiam *in quæst. An sit, ista* ignorari salva salute. Ita Julianus in der Widerlegung lit. I. 4. f. b. Im A. T. war GOTT als ein einziger GOTT bekennet / geehrt und angebeten worden: Im N. T. aber als Vater / Sohn und H. Geist.

VII. Art. idem A. Confessionis omnem procul dubio relationem originis inter Deum & peccatum abominatur, tum quia asserit summam & infinitam bonitatem ejus, tum quia non putat concedi posse primum principium mali, adeoq; non posse concedi duo prima Manichæorum principia. Julianus autem asseverat *cum Epit p. 133, tum in disp. de peccato th 83* Deum *esse causam peccati per accidens & indirecte*: quod

quod non tollit relationem originis. Neq; ego, cum *in Collatione mea ad Conc. Francofurt. p. 125.* hoc taxavi, aliud respexi. Sive n. absolutè dicetur *Deus causa peccati*, sive dicatur is *indirectè*, *impropriè & per accidens*, nihilominus dicitur *causa peccati*. *Indirectè enim, impropriè & per accidens* causam alicujus rei esse, non efficit, ne quis causa ejus sit. Relatio aliqua orginis semper manet. Hinc non opus fuisset aut ab alio Crypto Juliano, aut ab ipso in der Verantwortung wider D. Wellerum lit. Dd. 4. fac. a. me perstringi, cum hic dicit: *Venit nuper Argentoratо Studiosus, mihiq; ostendit, Dorscheum Collat. ad Conc. Francof. scripsisse, quod ausus fuerim pronunciare, Deum sine summæ sanctitatis contaminatione posse dici causam peccati; à qua assertione tamen saniores Ethnici abhorruerint. Quod ego pronunciavi additis vocibus indirectè, impropriè & per accidens: illis hus dissimulatis & omissis transmutat, quasi simpliciter dixerim, Deum posse dici causam peccati. Annon perfricuit fron-*

frontem posuit, & pudorem? Penes Lectorem esse judicium. Si quis non plus diceret, licet plus dicere possit, quam Cal. *esse indirectè, impropriè & per se causam concussionum Ecclesiasticarum*, causam esse nihilominus diceret.

IIX. Art. II. A. C. ita describit peccatum originale, tanquam ex corruptione & privatione natum quiddam habituale. Non enim vocat tantum *defectum justitiæ seu integritatis, seu obœdientiæ originalis*; sed etiam *concupiscentiam, horribilem cœcitatem, & inobedientiam.* §. 1. & 2. Julianus illud proprie in privatione supernaturalium primi hominis donorum consistere tradit. *Disp. de Pecc. orig. th.* 20. *Apolog. contra Buscher. p.* 133. IX. Art. idem A. C. concupiscentiam, quam in se complecti peccatum originis dicit, vocat *damnantem ac afferentem æternam mortem* §. 2. At Julianus disp. de peccato Origin. th. 38. ait, parum, imò nihil facere *ad praxin hominis Christiani, contendere de vocabulo peccati, num propriè accipiatur,*

scilicet

scilicet cum de concupiscentia originali agitur.

X. Idem Art A. C. satis clarè docet, Originale peccatum esse propriè *damnationis causam*, & *subjicere hominem æternæ damnationi, seu, ut articulus* loquitur, *continere reatum, quo nascentes propter Adæ lapsum rei sunt iræ Dei & mortis æternæ, essecq; verè peccatum damnans & afferens nunc quoq; mortem æternam &c.* Julianus negat hoc l. c. & in epitome p. 116. 125.

XI. Idem Art. A. C. clarè indicat, mortalitatem esse lapsus Adamatici effectum, sc. quia corruptio humanæ naturæ, ad quam spectat mortalitas, est ab Adamo lapso propagata. §. 1. Julianus *disp. de peccato orig. th.* 10. *Naturale est*, inquit, *homini* (etiam recens creato, de eo enim loquitur in antecedd.) *ut moriatur.* Si *primo* (Adamo ad imaginem Dei creato) *nihil, quod* NATURAM *superaret, collatum fuerat, moriendum ei fuerat, etiamsi non peccaret, Contra* Rom. 6, 23.

XII. Artic. III. Aug. Confessio Verbum, tanquam in V. T. cognitum Filium Dei, sed hactenus ἄπιστον, proponit. Et ita creditum fuit à Theologis tempore A. C. florentibus. Philipp. Melanchthon in Corp. Doctr. p. 167. Der Sohn Gottes/ daß wesentliche Wort/ hat den heimlichen wunderbarlichen Rath von seiner Menschwerdung/ von der Erlösung/ Gnad und Seeligkeit zu Adam und Eva erstlich ausgesprochen/ und ist verordnet/ das durch ihn für und für das Evangelium soll erhalten werde. &post: darumb ist es genant d; Wort des Ewigen Vaters. Dann durch ihn ohne mittel ist erstlich die Verheissung der Gnade verkündiget/ und durch ihn ist die Erschaffung der Creaturen ausgesprochen und vollbracht/ und er redet mit den Vätern immer für und für. Contra Cal. *in diss. de mysterii Trin. notitia sub V. T. th. 20.* Nulla *vel confessio, vel formula præscribit, aut docet, credendum esse, quod omnes prisci fœderis fideles mysterium Trinitatis distincte cognoverint;*

rint, aut quod id ipsum in libb. V. T. ita exprimatur, ut à quovis tum potuerit animadverti & intelligi &c. in der Wiederlegung th. 63. die Gläubigen im A. T. sind gerecht und seelig worden durch einen Glauben/ das GOtt zur bestimten Zeit einen Messiam oder Christum senden werde/ durch welchen vermittelst göttlicher unendlicher Barmhertzigkeit/ Weißheit und Macht die Missethat versühnet und die ewige Gerechtigkeit solte widergebracht werden. Dan. 9, 24. Interim an Christus ille Deus, an angelus, an homo futurus esset, incertum ipsis fuit, ita n. th. 64. Als offenbar und kund worden/ das nun mehr der Messias oder Christus ist gekommen/ und also hinfürter von denen/ die ihm durch den Glauben anhengig/ oder den Christen/ hat müssen gehrt werden/ da ist eine Nothwendigkeit entstanden zu wissen/ ob er nur wäre eine Creatur/ oder aber zugleich wahrer GOTT.

XIII. Idem art. reconciliationem Patris per passionem & mortem tribuit

Christo secundum utramq; naturam, seu dicit esse opus perfectum, in quo utraq; natura agit, quod suum est, cum communicatione alterius. Id diserte negat Hornæ. *part. 2. disp. Acad. th. 81.*

XIV. Idem art. proponit tanquam creditu necessarium, Christum *hostiam esse non tantum pro culpa originis, sed etiam pro* OMNIBUS *actualibus peccatis hominum* Negat hoc Cal. Judicio de controv. theolog. § 10.

XV. Idem art. cum dicit, in Christo duas naturas, divinam & humanam naturam in unitate personæ *inseparabiliter conjunctas* esse, innuit sanè intimam duarum naturarum communionem, & inprimis assumtæ humanæ naturæ in assumtione factam unctionem, quæ posita est in collatione immensorum donorum Spiritus Sancti, omnipotentiæ, omniscientiæ, potestatis infinitæ vivificatricis, divinè adesse ndi &c. Ita explicant A. C. Corpus Julium, Prutenicum &c. Calixt. hoc passim negat.

XVI.

XVI Idem art. *sessionem ad dextram Dei Patris secundum humanam naturam, ad quam per resurrectionem & adscensionem ad Cœlos Christus pervenit, positam esse ait in perpetuo regno & dominio omnium Creaturarum, quod est regnum potentiæ, & sanctificatione credentium per missionem Spiritus sancti,* quod est regnum gratiæ, *& per dationem vitæ æternæ,* h. e. translationem in regnum gloriæ. Hinc sequitur, quia Christus etiam sec. hum. naturam divinè regnat, eundem etiam per substantialem adessentiam regnare. Divinum enim regimen est substantialiter adesse ntis. Calixt. hoc ἀποτόμως negat. Imo cum perpetuâ Christi apud creaturas præsentiam juxta hum. naturam Corpus Julium inter ea recenseat, quæ in Cœlesti Acad. plenius discentur, ille omnem præsentiam extra cœnam negat, & eam cum commento transubstantiationis, procul dubio ad inferos relegando, comparat, ut supra dictum.

XVII. Art. IV. satis innuit; justificatio-

onem esse *actum Dei judiciarium*, quo donetur ex infinita gratia justitia Christi ac quisita, & remittuntur peccata. Addit acceptationem bonorum operum Hornejus differt. de Justif. num. 47. 51. 192 198.

XIIX. Idem art. urget quam maximè *certitudinem remissionis peccatorum* ex gratuita donatione justitiæ & condonatione peccatorum oriundam. §. *cum Evangelium*. Econtra: Homo de salute sua certus esse non potest, scribit ex schola Julia. Latermannus *de prædest. th.* 43 vide *Jud. Theolog. Argentoratens. cap. 3. p.* 19.

XIX. Idem art. ne incerta sit remissio, non admittit operum aut pœnitentiæ aut cujusvis conditionis præter fidem ex parte hominis considerationē. Vult enim submotum metum de operibus aut pœnitentia, dignè præstitis, & proposito satis sincerè concepto, unde dubitatio aut formido concurrere posset. Calixt. bonum propositum & studium bonorum operum ad-

adjungit in der Wiederlegung LV. th. 33. & seqq. Hornejus dissert. de fidei &c.

XX. Idem art. ad expressionem mysterii justificationis requirit particulam SOLA fide. Sub hac autem expressione non esse articulum fidei, sed modo quis Christum ejusq; meritum fateatur, de cætero liberum judicium relinquendum esse, statuit Cal. *Epicris. ad Colloq. Thorun. num. 33. 40. discurs.* von der waren Religion num. 69. 70. 71.

XXI. Fidem idem art. diligenter distinguit à charitate, novitate vitæ, & observantia mandatorum Dei. Confundit autem ista Calixt. in der verantwortung wider D. Hülsemann th. 50. lit. 3.

XXII. Artic. V. nullam ad conversionem causalitatem attribuit liberæ nostræ voluntati, omnem Spiritui sancto per verbi & sacramentorum tractationem efficaci assignat. Voluntatem hominis inter Causas operantes conversionem recensetHorn. *disp. 3. part. 2. th. 36. 75.* quod ab eo didicit Later-

termann. de quo vide *Censuram sive judic. theolog. Argentorat. sect. 1. cap. 2.*

XXIII. Art. VI. totus diligenter cavet, ne justificationis & salvationis nostræ dependentia aliqua à nova obœdientia asseratur, ut tutæ maneant á desperatione conscientiæ. Schola Juliana docet communiter *sine bonis operibus neminem per Christum salutem posse consequi.* 2. Bona opera *ad finem perdutere fidem.* 3. B. O. *sua natura esse necessarium medium, sine quo Deus peccatoribus nihil donare potest.* 4. B. O. *conservare nos ad salutem.* 5. *Fidem* per bona opera *vivificari, non solum ostendi.* 6. *justificationem gratuitam non opponit operibus ex cooperatione Dei factis, sed illis tantum, quæ ex viribus naturalibus fiunt.* 7. *Non aliam nobis fiduciam à Deo promissam esse, quod simus apud Deum in gratia, quam quia credimus & piè vivimus.* 8. *finem & effectum* bonorum operum *esse* consecutionem *salutis.* 9. *Gratiam Dei quâ evitamus peccata, nos mereri per bona opera.* Sunt emblemata Juliana, inprimis dilpp. Hornæi prodita.

XXIV. Art

XXIV. Art. VII. IIX. accurate monet, Ecclesiam in signis suis conspicuam debere habere *puram & sanam Evangelii doctrinam & rectum usum sacramentorum*. Unde illi non satisfit, cum dicitur, 1. eum, qui accipit & amplectitur omnia ea dogmata, in quibus Pontificii, Lutherani, Calviniani, Græci &c. consentiunt, non solum habere viam ad veram Christianam Ecclesiam, sed & habere ipsi Christianam Ecclesiam. Ita autem docet Calixt. in der Verantwortung *n. 13 Kk. iij. 2.* hos esse pure Catholicos, ratione fidei & charitatis integræ, qui se non uni sectæ, scilicet Papistarum, Calvinistarum, Lutheranorum &c. dedunt, sed omnes quidem symbolum Apostolicum secundum verba amplectentes tanquam fratres J. Christi recipiunt, interim ex omnibus sectis eligunt, quod antiquitati consentaneum est. Ita Laterm. *declar. apolog. p. 105, 106.*

XXV. Art. IX. cum docet, baptismum esse *ceremoniam à Christo institutam* & exinde *offerre gratiam*, non requirit intentionem cere-

ceremoniam illam in cœtu fidelium operantis ; satis esse indicat, si ipsa ceremonia in ecclesia Dei observetur. Ex adverso intentionem requirit Calixtus de baptismo disput. th. 131, 132. ut actio ablutionis pro sacramentali & mystica habeatur & à quacunq; κακοζηλίᾳ distinguatur. NECESSUM est, inquit, *ut accedat aliqua intentio baptisantis, ut baptisans in animo habeat ita abluere, uti ritu illo externo ac in sensus incurrente fieri solet in Ecclesia.* Hoc ridiculè iterat & restringit, cum ait: *ut* HABITUALITER *duntaxat* INTENDAT *animoq; constitutum habeat,* EUNDEM *actum præstare, quem in eo sacramento præstare solent Christiani.* Quid hoc est, hunc individuum baptisandi *actum habitualiter intendere* & animo constitutum habere? Unde de actus intentione habituali certitudo?

XXVI. Articulus idem docet, *per baptismum offerri gratiam* Dei. Non *objectivè* tantum, scil. intuitu baptisationis ipsius gratia divina in memoriam revocetur, & sic Deus

Deus illa conferat, sicut intuitu ænei serpentis omnipotentia Dei servatrix & sanatrix animo intuentis comprehendebatur, & sic Deus sanationis gratiam conferebat. Quid enim baptismus infantibus adhibitus? Sed *efficitate vera* medio salutis competente. Id docent verba sequentia amplius, cum dicitur, per baptismum infantes recipi in gratiam, & fieri filios Dei. At Calixt. disp. citat. th. 185. *Deus*, inquit, *baptismo utitur tanquam instrumento morali, non physico & naturali.* Si per *instrumentum physicum* intelligit, quod ex qualitate & efficacia insita in effectum influit, facile consentio. Sed & de hoc nemo dubitat, nec est idonea hoc sensu contradistinctio ad *instrumentum morale*. Dicitur *physica causa* non ea tantum quæ aptitudine & efficacia nativa agit, sed ea etiam, quæ supernaturali virtute & ordinatione. Ergo non satisfacit dictis scripturæ veram efficientiam, licet supernaturalem, lavacro aquæ tribuentibus, qui illud *morale instrumentum* duntaxat appellat.

XXVII. Idem

XXVII. Idem articulus indicat perspicuè, per baptismum fide h. e. lumine aliquo in amplexum meriti Christi ducente, donari infantes, quia *per baptismum fiunt filii Dei*; filiatio autem ista ab ipsa fide propria dependet. Qui enim filius Dei sine sua fide? Negat hoc Calixt. disp. dict. θ. 122. 171, dum dicit, *infantes, quamdiu tales, tanquam partes haberi suorum parentum, adeoq; necesse non esse ipsos credere, sed parentes pro ipsis credere Conf. Matt. 18, 6.*

XXIIX. Quando idem Artic. *baptismum necessarium ad salutem* vocat, ait, eum *offerre gratiam & dispensare, per eum fieri filios Dei*, utiq; Sacramentarios perstringit, inter quos eminet Zvinglius, qui adversantur. Vide Zvingl. *in Conf. ad Carol. V. art. 7.* ubi de sacramentis ait, *tam abesse, ut gratiam conferant, ut ne adferant quidem, aut dispensent.* Negat, *vehiculum spiritui S. esse necessarium.* Et tamen, contra quam Corpus Julium monet, totam de sacramentis controversiam in doctrina de S. cœna

cœna esse sitam, Calixtus orbi pervasum vult.

XXIX. Art. X. conjunctus cum artic. 3. abusuum, I. horribilem profanationem hujus sacramenti & idololatriam circa illud exercitam detestatur. II. commendat digni. tatem & usum ejus, tanquam consolati- onem proponat his, qui agunt pœniten- tiam, quod sit *testimonium & pignus, quo Christus confirmet, nobis præstare promissa & exhibeat nobis corpus suum, ut testetur se in nobis efficacem esse, tanquam in membris suis, exhibeat item nobis sangvinem suum, ut testetur se nos abluere sangvine suo.* III. incul- cat, ut accuratissimè hoc sacramentum vindicetur ab omnibus corruptelis & detra- ctionibus. IV. asserit contra Sacramenta- rios *ipsam præsentiam, exhibitionem & sum- tionem corporis & sangvinis* Christi, quos sub *secus docentium* titulo improbat. V. ur- get exhibitionem realem ipsius corporis Christi cum pane & sangvinis pretiosi cum vino, sine actionibus aliquibus crucifixi-

onem

onem repræsentantibus. VI. Negat singularem sacrificandi rationem in hoc sacramento, ceu sacrificio, requiri, ne honos sacrificii Christi transferatur in opus sacerdotis, cum Christi sacrificio semel satisfactum sit pro omnium peccatis, ut ait art. abus. VII. Missam Papalem ceu pernicioſum & Antichristianum errorem relegat. Omnia alia Iuliani. Nam I. cum Pontificiis etiã fraternitatem spiritualem colere parati sunt, uti notum est. II. quia usus hujus sacramenti ad salutem etiam in nobis confirmandam & conservandam necessarius haudquaquam est, neq; Pontificiorum idololatriam, neq; Calvinianorum sophisticam saluti pernicioſam esse, existimant. Calixt. in Gutachten th. 76. & alibi pluries. III. Adeo corruptelas & detractiones nos non debere abſterrere ab hoc sacramento fruendo, ut eo frui possint apud quamcunq; sectam, qui non abhorrent ab iisdem, in tantum, in quantum haberi potest, aut etiam fieri posse existimant. Cal. in der Wi-

der-

derlegung. Mm. IV. Inter nos & Calvinianos tantum de modo præsentiæ corporis & sanguinis Christi in S. cœna esse disputationem. Calixt. in Gutachten n. 75. 76. 84. V. At ex institutione Dei symbolicis sive sacramentalibus actionibus traditio corporis Christi & effusio sanguinis ejus figurantur ait Cal. de sacrific. th. 99. VI. quoniam *in S. eucharistia præsens est & accipitur corpus ac sanguis Domini, præsens quoq; est & accipitur id ipsum, quod olim in Cruce fuit sacrificium, nempe idem corpus, quod pro nobis in mortem traditur, & idem sanguis. qui pro nobis in remissionem peccatorum effusus; ergo si sacrificium materialiter capimus, est in Euch. idem numero sacrificium, quod fuit in cruce. Si v. sacrificium accipimus formaliter, tum etsi victima numero eadem, actio tamen ipsa sive oblatio, quæ fit in Eucharistia, cum oblatione & immolatione, quæ in cruce peracta fuit, nec specie nec genere convenit. neq; n. datur forma vel ratio oblationis vel immolationis, quæ de ista & illa univocè prædicari possit*: inquit Cal. l. c. th. 48.

θ. 48 49. Quia *in Eucharistia præsens exhibetur corpus & sangvis Christi, & præterea symbolicis sive sacramentalibus actionibus traditio corporis & effusio sangvinis figurantur, ideo veteres memorationem huic sacramento peculiarem sacrificium memotativum appellare amant*, ait rursus Cal. θ. 99. *Sane sacrificium, quale in Missa esse concedimus, non est ita nuda commemoratio sacrificii in cruce peracti, ut non adsit ipsa in Cruce oblata victima, corpus vid. & sangvis Domini, nec ita est nuda commemoratio, ut nullus exinde sperandus sit fructus & effectus spiritualis; nec ita nuda, ut præter laudes & gratiarum actiones non adjungantur preces, quibus oremus Patrem per Filium ejus q. mortem, non ut extra Eucharistiam, sed cum connotato præsentiæ & symbolicæ commemorationis, h. e. interventu symbolorum mysticæq. sumtionis juxta Christi institutionem peractæ.* Hoc esse, *Christum* PRO VIVIS & MORTUIS OFFERRE, ait idem l.c. θ. 46. & 126. Et quia *preces ritè factæ VIM habent propitiandi & placandi Deum, eatenus*

eatenus in Missa possit esse sacrificium propitiatorium, ait idem ibid. Quasi non in omnibus fidelium precib⁹ connotetur præsentia Christi Sacerdotis & sacrificii nostri apud thronum Dei ad dexteram in cœlis? ut propterea in precibus eucharisticis major sacrificii ratio sit, quàm in aliis. Calixtus nullam aliam Christi qua hominis præsentiam apud fideles agnoscit. Ideo tantopere ad sacramentalem illam præsentiam animum reflectit. Sentit nimirum, quod frater ejus in Christo R. Card. Bellarminus de Euch. *III, 9. beneficio Eucharistiæ nos* BREVI TEMPORE *inter nos* DOMINUM *habere*. Et fortassis inter miracula in hoc sacramento contingentia cum Guil. Durando Mimatensi Episcopo Rat. div. offic. lib. 4. c. 42, p. 215. hoc etiam commemorabit, quod *sumta à fidelibus* ORE CLAUSO *in cœlum* RAPIANTUR *corpus & sangvis Dominicus, sicut ex utero Virginis & sepulchri monumento, & per januam, clausis licet singulis, ipse ivit.* VII. Hinc deniq; Missam Papalem

palem quoad actum exercitum non averſatur, modo opiniones aliquæ abeſſent.

XXX. Art. XI. & XII. duas partes pœnitentiæ nominat, contritionem & fidem. §. *conſtat autem* Calixt. in Epit. proprie in fide poſitam cenſet p. 25.

XXXI. Idem art. XI. tradit, *pœnitentiam ſequi ceu fructum obœdientiam novam*. Iuliani inter neceſſaria ingredientia referunt.

XXXII. Idem damnat eos, qui negant, *ſemel iuſtificatos iterum poſſe amittere Spiritum*. Iuliani hanc negationem nec ſalutis conſecutionem, nec fraternitatem impedire pro ea, qua polluti ſunt, clementia cenſent.

XXXIII. Articul. XIII. extollit vim ſacramentorum, quod ſint 1. notæ profeſſionis, 2. teſtimonia voluntatis Dei erga nos ſalvificæ, 3. media excitantia & confirmantia fidem in utentibus, 3. vehicula gratiæ & ſpiritus S. Conſiderandum piis merito relinquitur, an 1. per ſyncretiſtica ſua conſilia iſtas profeſſi-

onis

onis notas enim confundunt? 2. annon Juliani vim sacramenti baptismi minuant cum negant, *Christum* cum Patre & Spiritu sancto *etiam secundum humanam naturam* inesse baptismo, & confœderationem, insertionem, unionem sacrosanctam perficere? 3. annon vim Eucharistiæ debilitent, cum corpus & sangvinem à Christo dari nobis in ea dicunt *sine unctione, & ditatione donorum infinitorum, sine communicatione omnis virtutis divinæ & plenitudinis Deitatis*? Imo dari non ex omnipotentia ipsi etiam juxta humnatur in cœlo & in terra data? Et etiam ex unione personali corpus & sanguinem Christi *ad præsentiam hanc sacramentalem* non plus virtutis habere, qvam qvodvis aliud corpus, qvivis alius sangvis?

XXXIV. Articulus XV. ritus, qvi non sunt expressi in s. literis humana autoritate institutos esse censet, & servandos, si sine pecato servari possunt & ad tranqvillitatem & bonum ordinem in

Ecclesia conducunt. Si, juxta Julianam hypotesin, id divinæ autoritatis est, in qvo seculorum priorum consensus deprehenditur, multo ritus pro divinitus institutis habendi erunt, qvi in s. literis non extant.

XXXV. Circa art. XVI. perpendendum, annon eludatur potestas politica, etiam circa Ecclesiam, in concinnandis certis confessionum religionis formulis occupata & pie sollicita, si cum Julianis dicatur, juramenta de observandis his formulis præstita non ulterius obligare qvam qvatenus, qvi juravit, existimabit, eas esse verbo Dei consentaneas? *Conf. apolog. sect. 3. c. 1. p. 44.*

XXXVI. Articulum XVII. interpretatione sua Juliani corrumpunt, qvi ait; *Christum appariturum in consummatione mundi, hominibus piis daturum vitam æternam & gaudia perpetua; impios a condemnaturum, ut sine fine crucientur*; qvasi animæ piorum defunctorum nondum ad perfectam, animabus competentem beatitudinem

titudinem & visionem Dei admittantur nec defuncti impij æternæ damnationis pœnis affligantur. Hoc pluribus agit Calixt. *diss. depurgat. §. 6. 7. Extremum judicium frustra & sine causa instituetur, si jam tum ante illud animabus perfecta & consummata vel beatitudo, vel damnatio reapso actu collata fuit. Sic n. homo, qvoad præcipuam sui partem, vel perfectam beatitudinem obtinet, vel maximas & summas pœnas jam perpetitur. Qvorsum ergo & cui bono extremum judicium, sive adjudicatio summi præmij & summi supplicij, qvæ jam pridem accepit, sive jam tum possidet vel sustinet anima? Neq; n. dubitari potest, corpus animæ nunc denuò unitum eadem conditione frui, cui jam pridem ejus animæ fuit adjudicata. Sanè jnxta scripturas ultimo demum mundi die propterea Dominus è cælo descendet, ut unicuiq; secundum opera sua reddat. Tum denique nec* MATURIUS, *retributio, sive mercedis distributio fiet. Ergo ante illum diem* ESSENTIALIS BEATITUDO & DAMNATIO nemini red-

tur. Conf. Calixt, *disput. de sacrif. §. 77. 78. etc.* Non n. in consummatione seculi eventura apparitio Christi ad dandam pijs vitam æternam, & impijs damnationem sempiternam adjudicandam repugnat statui animarum beatifico antegredienti, qvoad pios; aut statui damnationis animarum impiorum, ut jam olim ostensum est. Conf. Ap. 14. 13.

XXXVII. Articulus XIIX. non agnoscit, hominem pura naturalia post lapsum habuisse integra; seu; ut Calixt. *de pact. §. 16.* loqvitur, *per lapsum cœpisse è vestigio hominem donis supernaturalibus orbari, & in statu, qvalem natura sibi relicta præbet, relinqvi, addita culpa & inde exortis miserijs.* Existimat a. Calixt. ut §. 14. loqvitur, *qvod Deus hominem instaurare mere naturali, qvia ab ipsa hum. natura secundum se considerata dependet, non reliqverit, sed mox in ipsa creatione supra eum longè evexerit & dotibus naturalem constitutionem excedentibus, sc. cognitione Dei & sapientia, justitia & sanctitate &c. instruxerit.*

instruxerit. E. non nisi supernaturalia & naturæ superaddita dona per lapsum amisit. Non est a. verosimile, humanam naturam, etiam seclusis donis illis supernaturalibus & superadditis, in tanta fuisse imperfectione positam, in qvanta artic. 18. eum post lapsum esse dicit.

XXXIIX. Idem artic. cum ait qvod *voluntas humana non habeat vim sine spiritu sancto efficiendæ justitiæ spiritualis; efficiatur a. spiritualis justitia in nobis, cum adjuvamur à Spiritu sancto*; non hoc vult, qvali voluntas humana habeat qvidem vim efficiendæ justitiæ spiritualis sed semiplenam & insufficientem, in se se; posse interim oblata gratia concurrente & ipsam ad conversionem concurrere; hoc n. Semipelagianum Pontificium & Synergisticum esset; sed hoc, qvod nullam vim efficiendæ justitiæ spiritualis habeat, nisi qvam Spiritus S. adfert, offert, infert. Nec adjutorium Spiritus sancti spectat ad vires residuas voluntatis, sed ad ipsum hominem. Juliani n. volun-

tatem hominis inter causas conversionis efficientes locant, ut supra notatum.

XXXIX. Artic. XIX. cum negat, *Deum esse causam peccati*, utiq; ad gloriam Dei non pertinere censuit, si cum qvacunq; etiam limitatione Deus causa peccati dicatur. Maximè etiam detestatur absolutum decretum, ex qvo, Deum esse causam peccati, inevitabiliter seqvitur. Juliani non item, qvi nolunt dogma de absoluto decreto damnabilem vocare errorem. Calixt. in gutachten. n. 15.

XL. Artic. XXI. invocationem sanctorum idololatriam vocat; cum eos loco objecti adorandi, tanqvam Meditatoris, propitiatoris, pontificis & intercessoris contra s. lit. cum obscuratione officij & gloriæ Christi collocari ait: Hoc n. est idololatriæ, objectum adorabile alienum ponere. Et artic. Smalcald. 2. p. 310. & seqq. vocatur *error Antichristi, pugnans cum primo* Simb. A. *articulo & delens agnitionem Christi*, itemq; *actus idololatri-*

cus

eus, cultus idololatricus &c. Ita etiam interpretantur A. C. Agenda Megap. cum cant p. 58. f. 2. eine offentliche Heidnische Abgötterey / schröckliche Sünd und Verblendung der rechten Anruffung vocant. Id negat Calixt. *disp. statu anim. separat. ar. §. 30. Preces ad animas beatas, utpote Apostolorum, Martyrum, aliorumq; sanctorum, ut ab eis impetretur pro vivis apud Deum intercessio, emissas idololatriæ qvidem accusare non decet.* Viderit, qvomodo hæc cum juramento suo, qvo se Corpori doctrinæ Julio, in qvo Aug. Confessio & Art. Smalcaldici continentur, concilier. Plura nunc non addimus, Dominus Jesus errores minuat & errantes convertat!

(O)

SYLLABUS CONTENTORUM.

I. In dedicatione disseritur

DE emendatione Academiarum sub imagine Legationis ad comitia Imperii Romani suas querelas exponentium.

II. In oratione I.

1. Progamma differit de suspendio Judæ, an revera à S. lit.. tradatur?
2. Exordium differit de personarum & affectuum varietate in theatro passionis dominicæ à p. 1. ad 13.
3. Latronis Theologia practica & theoretica explicatur cum circumstantiis, à p. 13. ad 54.
4. Commonefactio contra Theologos Latrones & precatio habetur à p. 54. ad fin. p. 59.

III. In Oratione II.

1. Progamma differit de Flore passionis à p. 60. ad 67.

3. Exor-

2. Exordium de varietate latrociniorum qvibus orbis contaminatus est, differit a. p. 68. ad 81.
3. Judæ latrocinium adversus Dominum JESUM horribile, explicatur à p. 81. ad p. 109.
4. De latronibus imitatoribus Judæ breviter agitur à p. 109. ad p. 116.
5. Conclusio per preces subjungitur à p. 116.

IV. In notatiunculis ad utramq; dissertationem.

1. Apostasia Petr. Apostoli in palatio Pontificis summi excutitur à p. 118. ad p. 136.
2. Latronis in cruce memorabilis fides diversus S. Augustini dicti illustratur à p. 136. ad p. 150.
3. De Latrone converso Car. Scribanij meditatio & excitatio ad virtutem recitatur à p. 150. ad p. 160.
4. Satanæ & Adæ latrocinia ex monumentis S. Augustini explicantur à p. 160.
5. De interitu Judæ nova Heinsii, Grotii,

tii, Pricæi interpretamenta proponuntur à p. 164. ad p. 184.

6. Latrocinium in famam D. Jacobi Welleri insolens recitatur à p. 184. ad p. 193.

7. Latrocinium in famam D. Balthasaris Mentzeri petulans narratur à p. 193. ad p. 195.

8. Latrocinium in famam Theologorum docentium omnipræsentiæ Majestatem Christi, qva homo est, communicatam, commemoratur à p. 195. ad p. 208.

9. Latrocinium in famam D. Joh. Schmidii, sub nomine Dn. Dan. Pfeiffij, ob doctrinam de inhabitatione Christi gratiosa cum substantiali etiam adessentia Christi secundum hum. nat. conjuncta, enarratur à p. 208. ad p. 219.

10. Latrocinium in famam D. Dorschei ob literas qvas dam Jenam ad Theologum scriptas, dedacitur à p. 219. ad p. 250.

11. Latrocinium in famam Theologorũ ob dicta S. Scripturæ V. T. contra Grammaticæ

maticæ rationem & genium lingvæ Hebrææ ad pluralitatem aut SS. Trinitatem in div. essentia probandã usurpata, ut sunt Gen. 1. 1. & 26. Gen. 4. 1. Gen. 19. 24. Psalm. 33. 6. Gen. 3 22. c. 11. 7. recensetur à p. 250. ad p. 269.

12. Latrocinium in Formulam Concordiæ, symbolicam potissimarum Ecclesiarum August. Confessionis à p. 269. ad p 280.

13. Latrocinium in tractationem & doctrinam Augustanæ Confessionis ex collatione ostenditur à p 280.

Dionysius Episcopus Alexandriæ apud Eusebium Cæsareensem Historiæ Ecclesiast. cæ· lib. VII. cap. 23. de Nepote Ægyptiorum Episcopi Chiliasta

IN aliis multis Nepotem laudo & diligo, qvum propter fidem sedulita-

sedulitatemq; & excercitium in scripturis, tum propter psalmodiam, qva etiamnum multi ex fratribus delectantur, & hominem admodum veneror. At veritas amica est, & præ cunctis honoranda, & si qvid rectè dicitur, laudandum & approbandum: candidè verò, qvæ non sanè scripta videntur, inqvirenda & refellenda.

FINIS.

F. Reppien.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730409961/phys_0379
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730409961/phys_0380
DFG

2. Exordium de va… qvibus orbis c… rit a. p. 68. ad …

3. Judæ latrocini… num JESUM h… p. 81. ad p. 109.

4. De latronibus i… viter agitur à p…

5. Conclusio per … 116.

IV. In no… utramq; d…

1. Apostasia Petr… Pontificis fumi… p. 136.

2. Latronis in cru… diversus S. Aug… p. 136. ad p. 15…

3. De Latrone co… meditatio & ex… citatur à p. 150.

4. Satanæ & Adæ… mentis S. Augu… 160.

5. De interitu Jud…

…iorum… …, disse… …Domi… …icatur à… …dæbre… …itur à p.… …ad… …palatio… …. 118. ad… …lis fides… …tratur à… …cribanij… …item re… …monu… …tur à p.… …, Gro… …tii,…

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document
mm Inch
4.5 5.0 5.6 6.3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730409961/phys_0381
DFG